



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia**

**Haineuve, Julien**

**Antverpiae, 1652**

Octavo Die. De statu vitæ perfectæ, ex vita Christi gloriosa, desumpto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

## OCTAVVS DIES

De statu vitæ perfectæ, ex gloriosa Christi vita, desumpto.

## VIGESIMA SECUNDA VERITAS.

Vti nemo vitam adit gloriosam, nisi mortuus vita naturali, ita neminem inire vitam spiritualem & perfectam, nisi defunctum vita sensuali.

*Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*  
LUC. 14.

*Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Rom. 6, vide etiam 2. Timoth. 2.*

## MEDITATIO

in hanc Vigesimalam secundam veritatem.

## I. PUNCTVM.

*Declaratio eiusdem veritatis.*

**S**I plenum ex meditationibus nostris fructum collegissemus tantumque promouissemus

uiffemus in veritatum vfu & exercitio, quantum in earundem confideratione, hisce exercitijs, haftenus instituta: perueniffemus ad vitam vnitiuam, vitam perfectam, quandoquidem iam appulerimus ad myfteria refurrectionis, quæ cum perfectione vitæ fpiritualis tantam habent affinitatem vt eiuſdem etiam ſint idea & exemplar. Si verò nondum pertigimus ad hanc perfectionem, confiderabimus illam nihilominus in hisce myfterijs, vt nobis innotefcat, eaque cognitione nos, ad illam cum diuina gratia noſtroque conatu proſequendâ, accendamus. Si quidem exercitia non tam ſunt pro illo tempore, quo inſtituuntur, quâ vt errata præteriti tēporis agnoſcantur, & concipiantur ea in futurū propoſita & remedia, quibus in dies magis magisque ad perfectionē promoueamur.

Et quia grauiffimum promoturis impedimentum, & cui maximè inuigilare oportet, eſt amor proprius, quo ſuſtentatur vita noſtra ſenſualis: Inter omnes ſimilitudines & cōuenientias, quæ nobis circa myſteria vitæ glorioſæ IESV Chriſti à morte rediuiui, confiderandæ ſunt, peculiariter inſiſtere debemus illi, quæ nobis in hac Vigefima ſecunda veritate propoſita eſt, nimirum (a) vt vita glorioſa conſequitur mortem vitæ naturalis,

(a) Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter IESVM, vt & vita IESV manifeſtetur in carne noſtra mortali. 2. Cor. 4.

ralis, ita vita spiritualis & perfecta non est, nisi à morte vitæ sensualis. Non omitemus adnotare alias conuenientias, quæ inter vitam gloriosam corporis à morte existentis, & vitam spiritualem intercedit; sed præ cæteris hæc animo vehementius imprimenda est, quòd maioris sit momenti, neque vlla reliqua sit ad perfectionem obtinendam difficultas, si nobis ipsis mortui fuerimus, quandoquidem tota perfectionis dilatio vertatur in hoc vno cardine moriendi: simul enim atque morimur vita sensuali, statim spirituali vita viuimus: & perfecta mors vitæ sensualis, est vitæ spiritualis perfectio. Ita testatur Paulus, nos si similes fuerimus morti Christi, simul etiam futuros resurrectioni; sed & è contrario, nisi cum illo moriamur, nunquam adituros nos vitam illam spiritualem & perfectam, cuius imago est vita ipsius gloriosa, sicut non adituras ætas virilis, nisi relicta infantia.

Postquam igitur consideraueris quomodo Christus ad vitam non exsurrexerit priusquam fuisset mortuus sepultusque; quo pacto beata illius anima, quæ in limbum descendiderat, vt ex eo Paradisum efficeret, resumpserit corpus suum, eduxeritque è sepulchro gloriosum, præditumque quatuor gloriae donibus, claritate, agilitate, impassibilitate & subtilitate: postquam Christum hoc apparatu de morte triumphantem obstupescens suspexeris, adorauerisque, postquam illi fueris

ris gratulatus, & cum illo adieris eos quibus apparere dignatus est, postquam denique temporis aliquid collocaueris in contemplanda vita illius gloriosa, & gloriæ splendore attonitus exclamaueris: *O quàm gloriosus fuit hodie rex Israel!* (a) aggredere considerationem veritatis propositæ: sensum illius explora, & quàm indubitata sit, edisce.

Primò, quando moneris moriendum esse vita sensuali non id solum agitur, vt deseras scelera tua, aut affectus illos maximè sensuales qui in ea te deuoluunt, id enim nimis quàm rude est & imperfectum: neque hoc etiam, vt nulla amplius sensuali seu corporis, seu animi motioni, velut si mortuus fores, aut Angelus humana carne indutus, perturbaberis; nam istud subtile nimium est, & vires nostras exsuperans: sed hoc petitur, vt diuinæ gratiæ beneficio ita comparatus sis, viuaque in isto animi decreto ita attendendi ad omnes internos externosq; motus (b) mentis, appetitionum, linguæ, membrorum, sensuum, eorumque omnium, quæ in tua sunt potestate, vt quidquid senseris, nunquam tamen immeritata

(a) 2. Reg. 6. (b) *Talium mortuorum vox est: vivo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Quorum vita abscondita est in DEO, admonentur, vt membra sua mortificent, quæ sunt super terram, per continentiam scilicet concupiscentiæ motibus non consentiendo &c. Augustin. de Contin. cap. 13.*

deratæ motioni consentias: vt abstineas ab omni voluptate, vel modicè intemperanti: vt molestiam omnem, quæ hanc ob rem & alijs occasionibus ferenda est, sustineas: vt spiritu gratiæ potius & exemplo Christi, quàm naturæ & indolis procliuitate, ad agendum inducaris; vt compescas intellectum, à falsis ratiocinationibus, quæ nullo alio, quàm carnis & sanguinis; aut mundanæ sapientiæ nituntur fundamento: vt in suis affectibus refrænes voluntatem, ne optata sua, etiam sub specie boni alicuius, nimis auidè consecetur; vt coercas tuas appetitiones, fontes cupiditatis & odij, ab immoderata erga delectabile bonum propensione, & nimiâ sensibilis mali fugâ. Id enim verò est mori vita sensualis, ita se coercere; est viuere instar mortui, viuere in hoc animi decreto, & continuâ vigilantia nihil indulgendi suæ sensualitati.

His rectè comprehensis, perspice secundò quomodò verum sit, mortem hanc vitæ sensualis, tam esse necessariam ad viuendum vitâ meliorem. Quod necessarium fuit Christo, & ijs omnibus, qui resurgens in gloria, vt vitam moreretur in gloria. Nam vti diuina dispositione statutum est (a) vt corpus non adeat

(a) Hoc demum vita, seu potius hoc solùm vita est, nimirum nihil quidquam tolerare, quod humanum sit, nec voluptatibus addictum seruire: Chrysoft. hom. 13. in epist. ad Rom.

gloriam, nisi morte obita, ita etiam eadem providentiâ definitum est, ut nemo admittatur ad perfectionem vitæ spiritualis, nisi à morte vitæ sensualis. Et hæc definitio tam constans est, & immobilis, ut facilius exempturus esset Deus aliquem lege mortis corporeæ, ut absque illa eum traduceret ad vitam gloriosam, quam ut absque morte, de qua nobis sermo est, transitum faciat à vita sensuali, ad spiritualem, supernaturalemque: non enim tam repugnat, fierique facilius potest, ut corpus vitam viuens naturalem sine morte transeat ad vitam gloriosam, quam ut aliquis euadat spiritualis & perfectus, idemque maneat sensualis, fieri id profectò nequit, cum spiritualem esse & sensualem, æquè sint opposita, atque virtus & vitium, vita & mors, esse & non esse.

Quod si demum Deus neminem absoluit à morte corporis, ut absque ea illi largiatur vitam gloriosam, cum & ipsum IESVM mori oportuerit, & ita intrare in gloriam suam: quanto minus sperare nos debemus, fieri posse, ut sine morte vitæ sensualis, transeat ad spiritualem? (a) nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum (b) solum manet, non

(a) Ioan. 12. (b) Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.  
1. Cor. 15.

non progerminat, neque fructum fert vllum, aiebat Christus, de sua, nostraque morte differens: si verò mortuum fuerit, vides, quàm cumulatè penset arista vnus granuli in terra emortui iacturam? vides, quantum interfit discriminis inter corpus gloriosum & beatum, & inter illud, quod ante mortem, erat corruptioni, & perpeffioni obnoxium? Pari fruemur emolumento si animali sensualique vita moriamur. Nunquam viuemus melius, quam hoc vitæ genere mortui, nam illicò viuemus vita IESV, quâ viuit in cordibus nostris, quæque similis est vitæ illi gloriosæ, quam duxit rediuuius à mortuis, & cuius eatenus nos facit participes, quatenus socij sumus mortis illius & sepulturæ. Eius iam olim nos reddidit certiores D. Paulus, asserens nos eodem temporis momento, quo facti fuerimus similes morti illius, *simul* etiam & illicò fore resurrectionis. Non tribus post mortem diebus exsuscitabimur, sed illo ipso die, illa hora, illo felici momento, quo desinet vita sensualis, spiritalis inchoabit, aut, si inchoata iam est, euadet perfecta: & hæc vita spiritalis existens perfecta, nihil admodum abest à vita gloriosa; vita est noua, vt erat ipfius IESV; vita est tantò excellentior vita sensuali, quantò vita IESV à mortuis excitati, vitam mortalem & corruptioni obnoxiam antebat: vita est continua, quam nulla mors infestat,

fest  
mor  
pe  
nes  
run  
qua  
con  
bus  
erge  
den  
ceci  
lum  
cidi  
nun  
mo  
hinc  
que  
min  
Dec  
mor  
decr  
prox  
lacr  
poti  
tum  
tiani  
trans  
non f

D

(a) A  
(c) A



festat uti (a) *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, & reuera perfectos non peccare, (b) affirmat S. Ioannes, nam etsi subinde offendant, non sunt eorum peccata mortifera, sed neque venialia, quæ ex affectu, aut defectu mortificationis committuntur, mortui enim sunt, & in omnibus suis cupiditatibus mortificati; labuntur ergo plerumque ex inconsiderantia, imprudentia & fragilitate, promptiusque, quam ceciderint, sese erigunt, maioriq[ue] eum emolumento, quam si in leues illas culpas non incidissent. Cupiditas, quæ germen est peccati, nunquam appetitum illorum destituit, primoq[ue] sentire possunt illius impetus, sed hinc materiam sumunt virtutis meritorumq[ue] cumulandorum, hinc meminerunt se homines esse: hinc capiunt argumenta testandæ Deo fidelitatis suæ, dum non patiuntur ut motus aliquis inordinatus aduersus illius decreta voluntatemq[ue] infurgat; ad eum proximè modum, quo Iesus seruare voluit sacra vulnera in corpore suo glorioso, quæ potius erant honori, quam damno: ita beatum quoque illum sacræ litteræ pronuntiant, qui relicto peccati fomite. (c) *potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.*

Denique uti vita Christi gloriosa, erat  
 R vita

(a) *Rom. 6.* (b) *I. Ioan. 3.*  
 (c) *Eccles. 31.*

vita omninò nobilis, omninò libera & exempta hac edendi, bibendi, dormiendi, aliorumque seruitiorum vitæ naturali impendendorum, necessitate: Ita vita perfecta mancipare se nescit in obsequia sensualitatis, non omittunt perfecti usurpare, quæ necessaria sunt, sed non eadem, quâ imperfecti ratione: non desinunt aspicere, loqui, amare, desiderare, gaudere & tristari, sed non vt olim, cum nondum perfecti euasissent; omnia nunc aguntur spirituales & supernaturales in modum, omnia intuitu numinis ex eius spiritu, ad exequendam illius voluntatem, & vt dicebamus, ratione & ritu tanto sublimiori & & sensualem agendi modum excedente, quantò status vitæ gloriosæ & immortalis, miseram vitæ mortalis conditionem antecedit.

Ratio est, quòd sicut corpus gloriosum præditum est dotibus claritatis, agilitatis, impassibilitatis, & subtilitatis, vnde redditur penitus spirituale: ita quodam modo hæc dotes communicantur cum perfectis in quatuor animæ facultatibus, quas, vt videmus, habent moderatas coercitasque. Est dos claritatis in ipsorum intellectu, quæ diuinas præfert illustrationes, quarum præsidio ductuque dirigant sese, alijsque præluceant splendidissimo virtutum exemplo. Quadam specie agilitatis afficitur ipsorum voluntas, quæ tam prompta redditur ad omnem Dei nutum

vt

ut continuò idem velit , & sine mora obsequatur. In appetitu, ut vocant, concupiscibili, genus quoddam est impassibilitatis, quàm obduratur aduersus omnes voluptates, & obiecta sensum titillantia, ut nulla eorum via re-cto discedat. In irascibili donum est subtilitatis quàm tam facillè penetrant, perrumpunt, & que difficultates omnes, quasi plana forent omnia in virtutum exercitio, sicut sine difficultate cuncta penetrat corpus gloriolum. Ita gloriosè viuere vitam perfectorum, id demum gloriosum est, & haud absimile Christo resurgenti. An non talis vitæ teneris desiderio? per te stabit, quominus illam assequaris, si enim fidem habes D. Paulo, tantùm cum Christo morere, & in talem cum illo vitam resurges.

O Iesu, qui tibi noluisti mortem inferre, sed aliunde illatam excepisti, hoc fauore me prosequere, hanc gratiam præsta, patere, ut cum Moyse te compellem: Obsecro, Domine, ut interficias me, (a) eo modo; quo ipse mihi moriar, quo non viuam amplius, nisi à gratia tua, à spiritu tuo, & à vita tua gloriosa.

R.

II: PVN.

(a) Num. XI.

## II. PUNCTVM.

*Aduersio ad vitam præteritam,  
statumque præsentem.*

**V**itia omnia, quæ ex cupiditate, negligentia & immoderatione animi commissa sunt, aduersantur huic statui perfectionis & veritati, quam modò meditatus es. Excute re illa oportet, vt dolore & detestatione persequi possis. Sed præterea, si rectè aduertis animum, tres fallæ persuasiones & errores perniciosi mentem tuam occupant, qui vim huius veritatis elidunt, à quibus es exsoluendus. Prior est, existimantis hæc, quæ de noua perfectorum vita, differuntur, conceptus esse quidem argutos, sed cassos, & modum quendam loquendi contemplantibus speciosum, sed vlu, effectūque carere. Error iste profectò est, cui si consulto inhæsisse, potuisses in fidem offendisse, cum sacri sit authoris assertio:  
(a) *Si Christo commortui sumus, & conuivemus.*

Alter est, quod, etsi id fieri possit, & in nonnullis vsuueniat, tu tamen te credas eò nunquam posse pertingere, vt sis perfectus, viuasque vitam tam excellentem, aut eâ, quâ par est, ratione, tuis à natura cogenitis affectibus moriaris, Falleris, & pari quidem iniuria,

(a) 2. *Timot. 2.*

iuria, ac si diceret: Iesum neque tuâ causâ mortuum, neque à mortuis resurrexisse, aut nullius gratiæ tantam esse vim & efficaciam quæ spiritualē te & perfectam efficere queat, auderēsne has animo suscipere cogitationes.

Tertius error est, Quod velles quān ocyssimè te consecutum hunc statum, quod molestè feras, te adhuc perfectionis expertem, & nondum coërcitis esse affectibus, & quod incertitudo temporis, quo talem vitam consecuturus es, coniuncta cum ingenti eius consequendæ desiderio, ita te affligat, ut etiam infringat spem & animum. At hunc errorem corrige patientiâ tibi ab Apostolo commendatâ (a) & audi Seruatorem discipulis de tempore regni adeundi sollicitè inquirentibus, respondentem: Non esse illorum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua poluit potestate, sed accepturos virtutem superuenientis spiritus, (b) à quo discerent agenda, neque vllam aliam curam ad illos pertinere, quān quo modo illi obsequantur, & obtemperent. Hunc ad modum operando spera, & sperando operare quantum cognosces quotidie & in singulis actionibus facere, te ex spiritu & gratia debere.

Anime mi, permittamus illa Deo, quæ in illius vnus sunt potestate, & demus operam, ut ea nos agamus, quæ non vult perficere sine nobis.

## II. PVN-

(a) Iacob 5. (b) Act. 1.

## III. PUNCTVM.

*Propositum in futurum.*

**V**idetur nihil hinc noui statuendum esse, viuendi enim ac moriendi proposita rationes captae sunt, vt nihil supersit aliud, quàm vt executioni mandentur; Quia tamen perfecti differunt ab alijs, modo potius interiore abstinendi, & patiendi, quàm varietate operum exteriorum, cum reipsa perfecti non plura, quin & interdum pauciora faciant, quàm imperfecti, & imposterum tibi eadem taxat postanda sint, quæ hæcenus egisti: necesse est noua de hoc viuendi modo, qui proprius est perfectorum, & consentiens vitæ Christi gloriosæ, concipi decreta.

Et quidem viuendi continuò ea animi moderatione ac æquitate, vt interiora semper sibi constant licent externa pro ratione vel necessitatibus & fragilitate naturæ possint variari: mentis autem ille sit constans habitus, hanc vnã rem suam agere, spectare Deum in omnibus. Hinc existit tranquillitas animi, libertas interior, & facilitas etiam quædam exterior in rebus agendis, seclusa omni anxietate & solitudine, quæ mentem perturbet, & plures alii fructus eximij, & affecta perfectionis prouenientia ab hac animi æquitate

quitate, vel serio eius, in omni loco & tēpore, & quibus vis negotijs, tuendæ proposito. Prote- ritque dici de similibus, quod de matre Sa- muelis asserunt sacrae litteræ : (a) *vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati.*

Obserua, fieri mentionem plurium vul- tum, tum vt discamus interiora & exteriora non amplius variari, tum ad declarandum quod etsi plures sint vultus rerum exteriorum in perfectis, non tamen illos ea mutati ratione, quā apud imperfectiores, cum apud illos una eademque sit causa omnium agen- dorum, ratio & gratia. Status ille resurrectionis & immutabilitatis est, vbi (b) in eodem statu persistitur: soli affectus indomiti vultum immutant; at ubi nulla eorum perturbatio est saltem stata & voluntaria, inde exulāt illæ le- uitates omni yēno momentoq; cōmutabiles: illic idem spectatur homo, inter centum alios dignoscendus, qui vno eodemq; vultu hono- res & contemptum, prospera & aduersa, soli- tudinem & hominum congressus, gaudium & mœrorem constanter excipit: eò quòd vnicū sit illi studium, negotiumque, placere diuinæ Maiestati. O cui perspecta foret huius vnus studij, æquabilitatē in animo componentis, fe-

R 4

licitas

(a) Reg. 1. (b) Propter quod non deficimus sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. 2. Cor 4. Si ut Angelus Dei, vt nec benedictione, nec maledictione moveatur. 2. Reg. 14.

licitas, quam lubens huic comparandæ impenderet vniuersa! (a) Margarita est Euangelica, quæ non emitur, nisi abdicatione reliquorum omnium.

(a) Matth. 13.

COMPENDIUM MEDITATIONIS  
in vigesimam secundam Veritatem.

I. P V N C T V M.

*Declaratio eiusdem.*

**C**onsiderato mysterio resurrectionis, & quomodo Christus non prius adierit vitam gloriosam, quam defunctus esset vitâ naturali: agnosce etiam non adiri vitam spirituales, nisi quis prius sensuali vitæ moriatur, & ita mortuum certum inire felicem hunc statum perfectionis, quo modo Christus à morte sua triumphans & gloriosus exsurrexit. Ratio huiusce veritatis fundamentum habet ab eadem diuinæ prouidentiae dispositione, quæ pariter eum excludit à vita spirituali perfecta que, qui nondum mortuus est vitæ sensuali, ac illum non admittit in gloriam cælestem, & vitam gloriosam corporis exsuscitati, qui nondum vita naturali defunctus est. Et faciliùs inflecteret Deus decretum suum permittendo, vt transfiretur ab hac vita ad vitam immortalẽ sine morte, quã  
vt



vt non mortuus transitum faciat à sensuali vita ad spiritualem; tam enim pugnat hoc fieri, quam fieri nequit, vt vna sint vita sensualis spiritualisque, cum altera alteram necessario extinguat.

At, si quis mortuus fuerit vitæ sensuali, tam certum etiam est illam victurum vitam spiritualem, vt asserat D. Paulus nos, simul ac similes facti fuerimus morti Christi, illico etiam futuros resurrectioni, aut vitæ illius gloriosæ; Nam cum non viuetur amplius ex immoderatis naturæ cupiditatibus, viuetur sanè ex ductu gratiæ & rationis, quod vitæ genus tantò excellentius est vita sensuali, quantò vita gloriosa naturalem, illam corruptioni obnoxiam & mortalem excedit. Vita hæc quodammodo immortalis est, vti gloriosa, eò quòd assera sit à morte peccati, cui, ante adeptam hanc vitam spiritualem perfectamque, non rarò succumbebatur; est vita libera, & exempta seruitute vitæ sensuales, vti vita gloriosa naturalis vitæ necessitatibus; Denique suas æquè dotes habet, atque gloriosa, impertiens intellectui nostro donum claritatis, quo diuinas veritates perspiciamus, & earum vsu exercitioque euadamus spectabiles; conferens voluntati nostræ donum agilitatis, quo tam prompti reddimur ad omnes Dei nuntus, eosdem sine mora & acceptemus, & illis obsequamur: cohibens dote impassibilitatis appetitum nostrum

concupiscibilem, vt nullus nos sensus carnalium voluptatum afficiat; & irascibilem roborando dote subtilitatis quâ perumpamus difficultates omnes, sicut omnia peruia sunt corpori glorioso. An non votis omnibus expetenda est hæc vita? Non velles illam viuere? Ne affirma, nisi velis tibi. ipsi emori, nam obtineri sine hac morte non potest.

## II. PUNCTVM.

### *Aduersio in vitam præteritam presentemque.*

**I**Nter vitia vitæ præteritæ, quæ huic veritati aduersantur, nota triplicem errorem, quibus fortè imbutus es, quique impedimento esse possent, quo minus mores tuos illi conformares.

Primus est, cogitare, verba hîc dari, & fieri non posse, vt quis sibi (vt aiunt) moriatur ad viuendum solo spiritu Christi & gratiæ. Hic error totum oppugnat Euangelium, & nominatim diserta D. Pauli verba, quæ meditatus es, & alios, in hanc rem, locos innumeros.

Secundus est, credere quidem id fieri posse, non tamen existimare, quod id ad te pertineat, sed ad alios, quibus copiosior collata est gratia, quique euocantur ad altius perfectionis fastigium, quò tu non aspiras, Itane verò?

verò? Dicere audebis, Iesum non esse mortuum, neque exsuscitatum tui causâ, aut te eius mortis & exsuscitationis non esse participem? superare te possunt alij spiritu atque perfectione, sed ne inde efficias, te non posse, neque debere niti ad illam perfectionem, quam Deus à te statui tuo consentaneam requirit.

Tertius est, quòd putes te dubio rei eventu fatigari, & quòd, post omnem nauatam operam, nescias eequando tibi hæc felicitas obuentura sit, adeoque anceps prope animum despondeas. Sed hæc ignauia est nullo nixa fundamento, nam nefas est de promissis, & fide Dei dubitare, modò tu præstes, quod à te requirit. Faciat ille, quæ sibi soli faciendâ retinuit, & tu in id incumbere perpetuâ curâ, vt exequaris, quod sine te facturus non est, id est, vt te tantùm mortifices, quantum ad subiiciendam gratiæ naturam meritò requiritur.

### III. P V N C T V M.

#### *Propositum in futurum.*

**N**on est vt statuas plura peragere, quàm facere hæctenus decreuisti: sed vt tam constanter tantaque moderatione, & æquabilitate animi facere decernas, vt dici de te queat, quod scriptura de matre Sâmuëlis asse-

rit, nempe, post peractas preces & oblata sacrificia vultus illius non fuisse amplius in diuersa mutatos; vultus interior semper sibi constitit, & licet exterior subinde pro corporis habitu & negotiorum forte variari videretur, quia tamen hæc varietas à ratione non à naturæ affectu procedebat, non erat hoc mutari, quandoquidem à rationis præscripto nunquam deflectebatur. Atque hoc tibi nunc statuendum est, ad exprimendam vitam gloriosam & immortalem Christi IESV, vt quidquid extrinsecus acciderit, prosperi vel aduersi, læti vel tristes, mens tamen semper sibi constet, semper fixa sit in ratione, & studio placendi Deo, nullamque rem pluris faciendi, quàm quo apud Deum loco est.



VIGE-

(a) A

## VIGESIMA TERTIA VERITAS.

Sicut portauimus imaginem hominis terreni, ita nobis portandam esse imaginem cælestis; & constantiam in statu vitæ spiritualis esse, quæ cælestis hominis imaginem componat, vti ab inconstantia, terreni imago formabatur.

*Assumptus est in cælum, & sedet à dexteris Dei. Marci 16.*

*Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis: Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Epist. 1. ad Corinthios c. 15.*

## M E D I T A T I O

in vigesimam tertiam veritatem.

## I. P V N C T V M.

*Dispositio eiusdem.*

**V**Ti dictum est, (a) Christum resurgentem ex mortuis, iam non mori, mortem illi ultra non

domi-

(a) Rom. 6.

*dominaturam*: Ita quoque asseritur, eo semel in cælum assumpto, captaque regni sui possessione, (a) *Thronus eius futurus in seculum seculi*, sublata omni conditionis & domicilij vicissitudine, quod regnum eius æternum sit, vita immortalis, & status immutabilis. Est id exemplar vitæ spiritualis & perfectæ à nobis ducendæ; sic incumbere nos oportet vitæ spirituali, vt illam reddamus numeris omnibus absolutam; vt autem absoluta fit, requirit stabilitatem, & ex ea quendam quasi viuendi statum componere necesse est; non enim est vlla vitæ perfectio, quæ non eadem sit stabilis constantique, & vt talis sit, oportet illi sic insistere, vt nunquam desistatur, nam quod insistamus certo cuidam vitæ generi, aut insistendi nobis incumbat obligatio, derivatur vocabulum status, quod nomine ipso denotat constantiam & stabilitatem. Ad rem igitur accommodare facimus, si ex occasione Mysteriorum vitæ gloriosæ & perpetuæ Iesu Christi, hoc vltimo die meditandorum, nobis proponamus hanc Vigesimaltertiam veritatem, reliquis omnibus idcirco profuturam, quod & suadeat constantem in vitæ genere, quod nunc didicimus, progressum, & nihil modo nobis antiquius esse debeat, quàm vt aduersus propositorum nostrorum inconstantiam & leuitatem, animos nostros obfirmemus.

(a) *H. br. f.*

mus. Sic est, aut executioni mandanda sunt  
aut ea concipere nihil attinebat: insistendum  
est rebus per exercitia inchoatis, aut operam  
perdidimus: nam fructus huius spiritualis  
collectionis, non tam spectat tempus il-  
lud, quo peragitur, quam quod inde  
reliquum est vitæ, totamque æternita-  
tem.

Postquam igitur contemplatus fueris,  
quomodo Christus Discipulis in montem  
oliuarum conuocaris, supremum dixerit  
vale, suamque benedictionem impertierit;  
postquam videris stipatum beatarum men-  
tium cateruâ, paulatim attolli in cælum,  
excipi à Deo Patre, & aulâ cælesti vniuer-  
sâ, illic occupare thronum gloriæ sibi de-  
bitum, illic stabilire sibi regnum in res om-  
nes creatas, tota prorogandum æternita-  
te; denique post redditas gratulationes, &  
oblata debita officia, obsequiaque tua: aggre-  
dere considerationem propositæ veritatis,  
ita portandam esse imaginem hominis cæle-  
stis, quemadmodum portauimus imaginem  
terreni: & esse constantiam in statu vitæ spi-  
ritualis, quæ cælestis hominis imaginem com-  
ponat, sicut ab inconstantia terreni imago  
formabatur.

Est hæc D. Pauli assertio, tam consenta-  
nea rationi, & tam è re nostra, vt huius cæle-  
stis imaginis portandæ desiderium pro stimu-  
lo nobis esse debeat, ad ineundum statum

VITÆ

vita spiritualis, & capienda, dum viuemus, in eo perseuerandi proposita, decretaque; quia non aliter portatur hæc imago, quam si quis se constituat in vita spirituali, velut in certo quodam viuendi statu à quo resilire non sit amplius integrum. Quid enim est portare hanc imaginē (a) cælestē, nisi moribus exprimere statum illum vitæ, quo IESVS fruitur in cælis? Et cū status ille sit permanens, minusque obnoxius mutationi aut instabilitati, quàm cælum deprauationibus elementorum: non possumus expressiori illum, beatasque mentes, similitudine referre, quàm hac animi constantiâ, statusque firmitate; neque concipi melius potest, quomodo vita Christi gloriosa & cælestis esse queat figura & exemplum vitæ nostræ spiritualis & perfectæ, quàm ex eo, quod vita nostra in suo statu æquè sibi constet, ac IESV vita in suo; cū aliàs inter vtramque dissimilitudo intercederet, & nostra, vtcumque foret spiritualis, careret tamen perfectione;

quando-  
(a) *Qua sursum sunt, querite, vbi Christus est in dextera DEI sedens. Colof. 3.*

*Si quis incola esse cœperit Civitatis supernæ, Incola videlicet conversatione & moribus, non exeat, non reflectat vestigium, non corporis dico, sed mentis vestigium, non reuertatur retro. Ambros. ep. II. Tunc optimus est homo, cū tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhaeret illi. Aug. 2. doct. Chr. 22.*



quandoquidem perfectum idem sit, quod absolutum; & absolutum esse nihil queat, vbi deest perseverantia & continuatio vsque ad finem, vel vsque ad æternitatem vitæ sine nullo terminandæ. Constituat igitur sibi oportet quendam statum vitæ spiritualis, & in eo sese quodam veluti pacto obfirmet quisquis in statu perfectionis, & in imitatione vitæ Iesu gloriosæ ac cælestis, qui status immobilis est, esse desiderat.

Tribus fieri id modis posset, qui magnam lucem adferent propositæ veritati. Primò, si quis iniret ordinem religiosum, qui eatenus est status perfectionis, quatenus religiosi vi vororum, præscriptarumque constitutionum ad eam assiduè prosequendam obstringuntur, sed ad hoc peculiari vocatione opus est; & cuiusque est animaduvertere, quò Deus illum vocet; accedit, quòd modus hic præsentis materia nimis latè pateat.

Secundò, si quis, siue liber, siue iam adscriptus ordini religioso, obligaret se voto peculiari, nihil se acturum, nisi quod perfectius, & cum maiori Dei gloria coniunctum iudicauerit; quo pacto S. Theresia & alij plures sibi peculiarem statum perfectionis constituerunt, quo firmiter constantiusque illi insisterent: sed hoc paucorum est, qui inusitato afflatu excitantur, & ita secundus hic modus, in rem, quam molimur, nimis angustus est.

Ter-

Tertius igitur, communis omnibus, & tibi, quacumque conditione sis, æquè expeditus, atque facile est per octo dies exercitijs vacare, est, vt in propositis quæ in hac exercitatione, & præsertim ex veritate matutina concepisti, non viuendi deinceps, nisi vita spirituali & gloriosâ Christi Iesu, tam sis constans firmusque, quasi talem viuendi statum inijses, hoc est, aliquo sacramento ad vitam in eo perpetuò degendam obstringerere; quo modo religiosum statui religionis, & alios quosdam statui virginitatis aut cælibatus vota nuncupata adstringunt: pari tu ratione, nullo quidem voto concepto, neque promisso aliquo, quod te sub peccato obliget, sed intuitu dumtaxat propositorum à te factorum, ita te existimes ad ea sanctè perpetuoque obseruanda teneri, ac si voto, vitæque instituto fores astrictus: ea solum exceptione, vt si non obserues, futurus sis extra culpam, nisi aliunde peccatum accedat; sed quamuis interposita peccati pœna non tenearis, velis tamen vltro ijs subesse, ex reuerentia veritatum à te consideratarum & acceptorum (a) diuinitus beneficiorum, ad excitandos erga illa affectus & vitam ex eorum præscripto traducendam; adeoque sicut vir honestus æquè credit se teneri

(a) *Donc superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram. Iob 27.*

neri ad standū promissis, solo verbo firmatis atque alijs summo iure initis pactionibus: ita tu, post fidem verbo datam in propositis à te conceptis, non minùs existimes te obligari ad ea seruanda, quā si iureiurando, solenni asseueratione, & votis omnibus ea confirmasses.

Hac mente aiebat David: (a) *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiae tuae*, hoc est, ita comparatus sum, adeoque me teneri arbitror ad custodiendam legem tuam, ac si id me facturum conceptis verbis iurassem. (b) Eo quoque sensu in sacris litteris iurasse subinde Deus dicitur, quod æquè sanctè staturus sit promissis suis, ac si iusiurādum interposuisset. Quando igitur tam fixa constantiaque erunt tua proposita, ac sunt ea, quæ iureiurando, quæ initis ex lege pactionibus, quæ votis sollemnibus confirmantur, tunc enim verò eris in statu vitæ spiritualis, quandoquidem futurus sis in firmitudine & stabilitate, quæ viuendi statum constituit, aut saltem eris in voluntate, & serio constandi persistendi que proposito, ita vt deinceps nihil de illo remittas, degeneresve in antiquam viuendi consuetudinem; Nam gradum indies magis magisque promouere ad status tui perfectionem, & ex bono euadere meliorem, non est inconstantia: at retroire, & in assuetas relabi negligentias, propositis nequidquam aduersantibus, ea demum leuitas animi est & inconstantia.

(a) *Pf. 118.* (b) *Pf. 131.*

inconstantia, in quam pronus rues, nisi attendis; imò nisi nunc quoque tibi deliberatum sit, attendere, mentemque obfirmare aduersus hasce inconstantias, nondum es in statu vitæ spiritualis, quem occupare te oportet: firmum enim propositum volendi continuare sine intermissione, & progrediendi in cæpto vitæ spiritualis instituto, eius statum & perfectionem constituit; hæc constantia reddit illam similem vitæ Christi gloriosæ & cælesti, tamquam prototypo & exemplari suo; (a) *Christus enim, teste Paulo, heri, & hodie, & in secula, qualem semel vitam in cælis iniit, talem constanter tenet tenebitque tota æternitate.* Hanc Adami cælestis imaginem portemus, necesse est. alias Iesu Christi imagines proponimus nobis ob oculos, vt eas intueamur, consideremus, veneremurque, sed hæc in animo gestanda est, vt ille in nos intuens, suam sui que status cælestis effigiem contempletur.

(a) *Hebr. 13.*

## II. PUNCTVM.

*Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.*

**T**Ota vita nostra antea cta nihil est aliud, quàm constans inconstantia, & perpetua viuendi commutatio, quantum à te ipso discrepas

crepas die aliquo Dominico vespere & mane? quam alius in hominum congressu, alius in oratione? non quod eadem animi compositio semper adhibenda sit, sed quia singulis quibusque horis & actionibus, suæ sunt virtutes, tam oporteret ea virtute præditum esse, quæ pastum, ludum & recreationes moderatur, quam illa, quæ regit orationem. Opus variare non est inconstantia, sed desistere à virtute, aut vitæ spiritualis exercitio, quod comitari nos debet, operandique modum præscribere. Naturæ id vitium est, inquires, & conditio huius vitæ (a) nunquam in eodem statu permanentis vti scriptura ipsa testatur, adeoque non viderur seria aliqua constantia à nobis sperari posse.

Atqui hoc gravissimum erratum est, quod in re præsentis commisimus, & pessima animi dispositio, quam adferre aduersus propositam veritatem possemus, si, quod petitur, credimus fieri non posse: quam enim operam, quam contentionem adhibebimus veritati moribus exprimendæ, & stabiliendis nostris propositis, si credimus in ijs non posse perseverari? verum quidem est non debere nos efferri nimiam quadam fiducia, ob pias motiones, quas experimur, sed neque spes abijcienda est, quantacumque naturæ leuitate iactemur. Dum scriptura asserit hominem nunquam in eodem statu permanere, non id facit ad comprobando-

(a) Job 14.

probandam sed ad deplorandam inconstan-  
tiam, animandosque nos, ut eidem, pro viri-  
bus, occurramus: & tantum abest ut sacræ  
litteræ nobis hac in re demant animos, ut è  
contrario maximè continuationem perseue-  
rantiamque commendent. Vix Christus &  
Apostoli vnum alterumve documentum ad  
salutem & perfectionem attinens tradiderāt,  
(a) cum alia reticentes toti erant in illis ite-  
randis inculcandisque & commendando eo-  
rum usu assiduo, constantique. (b) *Non querun-  
tur, aiebat sacer Doctor, in Christianis initia, sed  
finis;* (c) non spectatur quam præclara propo-  
nas animo, sed quam constanter propositorū  
executioni insistas, (d) *Firmum fundamentum Dei  
stat, inquit Paulus, habens signaculum hoc, firmi-  
tudinem scilicet, vnde Deus agnoscatur, &  
nonne Christus asseuerabat, eos, qui solum  
cognoscendis, non autem exequendis verita-  
tibus, (e) dant operam similes esse stulto in in-  
stabili arena edificium molienti; & prosequēs  
idem hoc argumentum, hominum, inquit, lu-  
dibrio exponitur, quisquis cœpit edificare, & non  
potuit consummare (f) & aptè Augustinus: Bonum  
inchoare, (g) & malo sine concludere, quid aliud est,  
quàm monstruosas res conficere? illa enim actio quasi  
Chimera est, quæ initium habet à ratione, sed finem à  
sensualitate. Vides igitur errorem esse, & accer-  
sitam*

(a) Eph. 4. (b) Act. 11. & 14. (c) Hier. ep. 16.

(d) 2. Tim. 2. (e) Matth. 7. (f) Luc. 14.

(g) Serm. 8. ad Frax. in Eremo.

litam tegendæ ignaviæ causam, si tibi persuades, te in cœpto vitæ instituto, factisque propositis assiduum & constantem esse non posse.

Detestare hunc errorem & cum Deus idcirco solum suas tibi voluntates manifestet, ut opere ipso illas exequaris, certus esto, æquè propitium fore in conferendis ad executionem gratijs, quàm ut exequenda cognoscas.

### III. P V N C T V M.

#### *Propositum in futurum.*

**Q** Vandoquidem sola arbitrij nostri libertas nos à propositis nostris abstrahat, proprius huius meditationis & propositæ veritatis erit fructus, ut, si nunc deliberatum sit vivere constanter vitam spiritualem & perfectam, quemadmodum reuera viui debet, velimus nos ad hoc tali pacto obstrictos, quasi careremus resiliendi, aliterque viuendi libertate. Si periisset nobis libertas aut facultas loquendi, verbi gratiâ, incedendi, vel alium aliquem morum natura concessum exercendi, sanè eo abstineremus, quod facultas deesset: pari modo gerere nos debemus in omnibus morionibus quæ nimium à nature, vel utcumque à sensuû delicijs existunt; etsi liberum nobis sit & naturali facultate ijs obsequedi polleamus, ab ijs tamen abstinendum est tam  
seriò

feridò constanterque, ac si obsequi non possemus, & per quandam naturæ impotentiam, vires patrando malo re ipsa deessent, quibus tamen præditi sumus: nam potentia nostra viresque impediuntur vinculis obligationis, quæ nobis ipsis per proposita iniecimus: adeoque non aliter gerere nos debemus, quam si libertatem & potentiam omnem amisissimus.

Nunquid ita te gereres, si concepti voti religionè tenereris? nunquid diceres, nihil quidquam, hac in re, te posse, tamen si reuera tam possis physicè, ac si nullo te voto obstrinxisses? sed quia non posses licitè, illæsaque conscientia, censeris hanc physicam facultatem esse moralem impotentiam, adeoque non magis illa vterere, quam si mera foret impotentia. Eadem quoque ratione responderes, si ad facinus vrgereris à tua dignitate & religionè alienum, vt ad mentiendum, furandum, aliudve eiusmodi, illicò obnuntiares, diceresque te non posse, etsi planè possis, sed non quæ virum honestum & probum decet, atque ita sine vlla veri iniuria, rectè asseuerares te non posse. (a) Hoc modo testabatur, D. Paulus, se nihil posse aduersus veritatem; & Apostoli: *Non possumus, quæ vidimus & audiuimus non loqui*: quasi dixissent, se, cùm aliter loqui non deberent, nec loqui posse, suam potentiam ex debito suo æstimabant, & quemadmodum

(a) 2. Cor. 13. Act. 4.

arbi-

arbi  
ab il  
seba  
quo  
ria C  
rat,  
testa  
virtu  
set,  
decr  
fit,  
Hoc  
abun  
quar  
tas h  
cipe  
quã  
tend  
rum  
deat  
agen  
mus  
bis i  
soler  
feri  
liber  
non  
(a) M  
(b) V  
ti,  
ra



arbitrabantur facere se posse, quidquid fieri ab illis debebat, ita quod non debebat, cen-  
 sebant à se fieri non posse. An non, eandem  
 quoque ob causam, prodit Euangelica histo-  
 ria Christum Dominum, qui quidvis pote-  
 rat, & liberrima erat in res omnes creatas po-  
 testate, non potuisse tamen inter ciues suos (a)  
*virtutem vllā facere?* Non quod reuera non pos-  
 set, sed quia ex iustitiæ & prouidentia suæ  
 decretis iudicabat fieri non debere, ita se ges-  
 sit, ac si re ipsa faciendi potestate caruisset.  
 Hoc igitur modo vtere libertate tua non vt  
 abutaris, sed potiùs vt liber volensque exe-  
 quare, quæ liberè decreuisti. (b) Et ne liber-  
 tas hæc aliquando fiat sui iuris, seque eman-  
 cipet agendo suis officijs contraria, pro sua,  
 quâ viget, facultate, in necessitatem conuer-  
 tenda est, itaque deuincenda est proposito-  
 rum nostrorum vi & firmitudine, vt non vi-  
 deatur ampliùs esse libera, & compos aliud  
 agendi, quam quod agere statuimus decreui-  
 musque. Quando in quibusdam casibus no-  
 bis incumbit necessitas agendi aut patiendi,  
 solemne verbum est, ex necessitate virtutem  
 fieri oportere, vt quod necessarium erat, fiat  
 liberum, liberè acceptando, quod declinari  
 non potest: ita quando aliàs, vbi ex officio

S

ad

(a) Marci 6.

(b) V. August. l. 2. de lib. arbit. c. I. Noli libertate abu-  
 ti, sed vttere ad non peccandum. erit voluntas libe-  
 ra, si fuerit pia.

ad agendum aut patiendum obligamur, sumus liberi, faciamus ex libertate virtutem, ut quod liberum erat, iam sit necessarium, tam certò præstantes officium nostrum, ac si eò necessitate adigeremur. Atque hoc intelligendum est; cum ratione executionis omnium, quæ nobis agenda proposuimus, tum omissionis eorum, quibus decreuimus abstinere, tum denique pro constanti vitæ spiritualis vsu, assiduoque exercitio. (a) *Aperi os meum ad Dominum, aiebat quidem è Iudæorum ducibus, & aliud facere non potero. Et omni memoriâ dignissimus Ioseph: Quomodo possum hoc malum facere, inquit, & peccare in Deum meum, nunc, eodem pacto loquere, & viue.*

(a) *Iephte Iud. II.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS  
in vigesimam tertiam Veritatem.

I. PUNCTVM.

*Declaratio eiusdem.*

Considerans, quomodo Christus in cælum conscenderit, quomodo illic sit exceptus, & qua ratione se stabiliuerit in statu gloriæ tam firmo constantique ut nullam sit aliquando passurus mutabilitatem: immorare potissimum huic constantiæ & firmitudini  
status

status, quæ in cælis Iesus occupat, est enim ea fundamentum cui proposita veritas & decreta vitæ deinceps ducendæ, innituntur; ideoque iterum agnosce, nihil magis esse proprium statui Christi glorioso, quàm sic esse fixum immutabilemque ut ne loco quidem, vbi sedet ad dexteram patris, moueatur, ut alio, cum sic visum est, concedat; & licet vna pluribus in locis esse possit, throno tamen suo manet affixus: neque cæli ipsi tam sunt expertes corruptionis à natura, neque in suis motibus tam constantes, quàm status vitæ ipsius cælestis gloriosæ & æternæ.

Ad illum igitur moribus exprimendum, & ad portandam illius imaginem cælestem, ut Apostolus loquitur, pro viribus formare nobis debemus statum quendam vitæ spiritualis, qui tam firmus sit & permanens, ut ab illo resilire quodammodo nequeamus: nam aliter non portabimus eius imaginem & similitudinem, nisi beneficio huius firmitatis & constantiæ, cum leuitas & inconstantia nos potius efficiat similes Adamo terrestri, qui nunquam in eodem statu permanet. His ita perpensis, hoc vnum superest, ut videamus, quid sit sese in statu vitæ spiritualis stabilire.

Forsan est, ut status religiosæ vitæ ineatur? at non istud solum spectatur hic. Forsitan, ut quis ita se Deo consecret, ut astringat etiam se voto nihil agendi, non ad maiorem ipsius gloriam, quod fecisse nonnullos sanctos

legimus? sed neque id fortassis tibi arrideat. Hoc igitur est, ut post concepta viuendi non amplius ex naturæ corruptæ legibus, sed ex spiritus & gratiæ præscripto, proposita, tam in ijs firmus sis constansque, ac si fidem tuam voto, vel aliqua stricti iuris pactione adstrinxisses: ita ut hæc propositi tui firmitas constituat statum quendam vitæ spiritualis, in quo assidue perseverans, quantum per diuinam gratiam licebit, referes præclaram illam imaginem cælestem Filij Dei ad Patris sui dexteram, confidentis. Satis est id animo statuuisse, si enim vir cordatus es & bonæ fidei, illi stabis æquè, ac si sacramento firmasses, aut omni iure, certoque inito contractu, eò obligareris.

Numquid ita vis? nunquid ea fuit tua mens, quando toties hoc proposuisti? serione faciebas an non? Nonne esset Deo illudere, actis illi & non seruatis sponfionibus? Verùm ut optimâ nunc voluntate sis, quia tamen tanta tibi inest à natura leuitas & inconstantia, ut nisi aduigiles, facile abiturus sis ab instituto viuendi proposito, nisi arctiore quodam vinculo, quàm feceris hæctenus, te obstringas; hinc suadetur, ut quemadmodum ij, qui statum religionis, vel matrimonij ingrediuntur, perpetuum illum fore censent, & à quo resilire non sit amplius integrum: pari tu ratione aggrediaris exercitium vitæ spiritualis veluti statum quendam, qui te ad

tam

tam  
mes  
non  
ctu  
viue

O  
que e  
ruen  
re po  
oppo  
Al  
quaf  
fiden  
posi  
Al  
tas,  
fira e  
sisten  
tur,  
man  
titur  
inanc  
cri c

tam assiduum illius usum obliget, vt existimes, tibi non licere, viuere aliter; vti reuera non licet, cum aliter viuendo, malè esses victurus. O felicem necessitatem, quæ ad bene viuendum compellit!

## II. P V N C T V M.

*Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.*

**O**bseruatis hinc inconstantijs & leuitatibus vitæ tuæ antea actæ, semper variæ, semperque ex bono in malum, & ex malo in peius ruentis: agnosce hanc instabilitatem prouenire posse ex duabus causis omninò contrarijs, oppositisque.

Altera est, nimia fiducia, & præsumptio, quasi ad tollendum metum omnem, & diffidentiam sui ipsius, satis esset, aliquando propositum vitæ melius ducendæ concepisse.

Altera est animi abiectio & nimia timiditas, quasi tibi possibile non esset, vt proposita exequereris, aut constanter executioni insisteres, præsertim cum sacræ litteræ testentur, hominem nunquam in eodem statu permanere, atque ita spes omnis abijcitur, repetiturque antiqua viuendi licentia. O quam inanes hi metus perniciosi sunt! & quam facili codicis sensus est alius à tuo! nihil enim

magis deplorat, quàm miseram hanc inconstantis animi licentiam, & firmitatem perseverantiamque sic commendat, ut asserat in eo verticardinem salutis nostræ, ut perseveretur. Dementia est incipere & non consummare. Diuini operis signum est, operis vsque ad finem continuatio. Monstrum est & quoddam Chimerae genus, bene inchoare, & malo fine concludere; monstrosior apparet malus finis, qui bono principio opponitur; aut ne incipe, aut si nem operi impone: sicut enim sine principio finis non constat, ita sine fine malè collocatur principium. O Deus, qui Principium vniuersorum es, & finis, sic esto finis meorum propositorum, quemadmodum eorundem es principium.

### III. P V N C T V M.

#### *Propositum in futurum.*

**E**st, tam parum vti sua libertate ad malè agendum, ac si deesset libertas, fierique non posset, quod non licet: est, exempli causâ, cohibere linguam, oculos, aliasque corporis & animi motiones in nostra sitas potestate, vti iuxta statum vitæ spiritualis cohibendæ, moderandæque sunt, quasi vsu loquendi, videndi, aliorumque sensuum & motuum careremus. Nam etsi tibi libertas physica sit, & facultas, statuere nihilominus debes, eadem  
non

non abuti, sed potius illam ad virtutes, meritaque cumulanda, bene collocare.

An non ita vtereris, si obstrinxisses te voto, aut aliqua grauioris criminis, vnde horreret animus, sese offerret occasio? nonne diceres te id committere non posse, tametsi reuera & iuxta facultatem physicam posses? sed quia integra conscientia id non potes, hanc facultatem, & quidem optimè, censes impotentiam. Hoc eodem pacto te gere in omnibus tuis propositis, ad quamcumque tentationem & prauos naturæ impulsus, liberè dic, te non posse, quod sponsonem Deo dederis, quam sine impietate & perfidiâ retractare non liceat. Ita Apostoli, cæteri que sancti loquebantur, cum dicerent non posse se quidquam alienum agere ab ijs, quæ Deus volebat, præscriperatque. Cur idem tu non dicas? an non eadem illis, contra agendi libertas, quæ tibi, si abuti sua libertate voluissent? aut si abuti illi non debebant, credere nec te debere, cui eadem cognitæ veritates, & pares bene vtendi obligationes, & fortassis etiam grauiores, quandoquidem plus gratiæ tibi collatum sit, quam multis, qui sic locuti sunt, & tam constanter suis exequendis propositis institere.

Anime mi, caue igitur ne dicas eos fuisse homines sanctimoniâ insignes, à qua tu procul absis, nam illi sanctimoniam alia lege non sunt adepti, quam ita loquendo, viuendo.

416 VIGESIMA TERTIA  
que constanter in statu vitæ suæ spiritualis: &  
tu si eorum constantiam imitere, facile virtu-  
tem quoque, & beatitatem æternam cum  
ipsis consequeris. Sæpe audiuius ex neces-  
sitate fieri virtutem oportere, discamus mo-  
dò, qua ratione fieri debeat ex virtute neces-  
sitas: hoc est, quavis in occasione tam constan-  
ter, & certò exercendam esse virtutem, ac si  
nulla nobis inesset libertas, sed fatali quadam  
necessitate eò adigeremur,



VIGE-

SI  
da



## VIGESIMA QUARTA VERITAS.

Amorem spiritualem nos tantum, tamque perfectè Deo unire quantum nos à reliquis rebus omnibus abstrahit, nihilque in nobis tolerat, quod non prorsus spirituale sit.

*Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas illum, & ambules in vijs eius ac diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua? Deut. cap. 10.*

*Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5.*

*Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. Timot. 1.*

## MEDITATIO

in hanc Vigessimam quartam veritatem.

## I. PUNCTVM.

*Expositio eiusdem.*

**S**I optari debet, ut tales ab exercitijs recedamus, quales cælum ingredi oportet, cer-

tum est, animam nunquam eò ingressuram quin semouerit quidquid terreni, sensualis, & humani cōtraxerat, & quin in affectibus æquè suis; ac substantia euaserit spiritualis. Tales igitur ut simus, hac postrema meditatione, quæ exercitijs finem imponit, connitendum est; & hoc consilio proponitur. Vigesima quarta veritas de amore spirituali & Spiritus sancti descensu, qui teste Augustino, (a) ea de causa venit in terram, ut terrā in cælū quoddā commutaret; ut penitus nos redderet spirituales, cælestes & diuinos, quique idcirco linguarum ignearum forma descendit, ut primūm consumeret in nobis, quidquid reliquū erat terreni & animalis, uti ab igne paleæ stipulæque absumentur; & deinde ut nobis conferret facultatem loquendi exhortandique alios ad conuersionem humanorum suorum affectuum in spirituales. Est verò hic etiam maximè proprius & nobilissimus amoris spiritualis effectus, ut quemadmodum memorat expendenda modò veritas tam perfectè nos vniat Deo, quàm nos seungit à reliquis omnibus neque quidquam non spirituale, in homine patiatur; adeoque, si dispositi sumus ad hunc Spiritum sanctum, & diuinum illum amorem recipiendos: uti sui copiam modò faciunt, neque vllum obij-

cimus

(a) *Flatus ille à carnali palea corda purgabat: Ignis lignum veteris concupiscentiæ consumebat. Augustin.*

cinus impedimentum, quo minus sua in nobis operentur, euademus omnino spirituales, paratiq̄ue ad finem nostrum vltimum consequendum, quandoquidem solæ naturæ nostræ propensiones nos. ab eo detorquebant; neque aliud agitabimus animo, quam *unum illud necessarium*, quod est, vt nihil sectemur, nisi solum Deum, nisi ipsius voluntatem, & omnibus ipsius consilijs decretisq̄ue pareamus.

Hæc est insignis illa morum (a) conuersio spectata in Apostolis, primisq̄ue Christianis simul ac Spiritum sanctum acceperant. Immorare paulisper huic mysterio; & considera quales ante fuerint, & quales deinde euaserint imbuti virtute illâ cælitus concessâ, & in vitæ spiritualis statu collocati. Nō erant sanè amplius ij homines, qui nescio quod temporaneum regnum à Magistro præstolabantur, quiq̄ue primas in eo dignitatis ambiebant, qui repulsam aliquam, aliquam iniuriam, iniquissimo ferebant animo, & ad suppliciorum aspectum se dabant in fugam: sed toti iam erant in prosequenda, commendandaq̄ue salute æterna, contemptum rerum temporalium; abiectioe & vilipensione sui ipsorum: id iam agebant, vt benefacerent omnibus vt in vicem præstorum officiorum, iniurias & obrectationes.

S 6

nes.

(a) Vide Greg. 17. Moral. c. 19.

nes expectarent, vt in pœnis & supplicijs lætissimo essent animo, vt nullis deinceps humanis affectibus & studijs agerentur nihil amarent, nihil metuerent nihil desiderarent, de nulla re gauderēt deinceps, nisi secundum Deum & in spiritu; denique vt non viuerent nisi vitam penitus spiritualem, & quæ naturæ modum excederet. Hæc erat vita Apostolorum, primorumque fidelium, erat vita spiritus Iesu; quâ animabantur, erat lex gratiæ & amoris, quam illorū cordibus inscripserat, erat effectus huius gratiæ, & amoris illius diuini, eos ita possidere, sui que iuris fecisse, vt prorsus efficeret spirituales sublato omni eo, quod sensum, terram, humanumque aliquid, & à spiritu alienum sapiebat. Huc idem Spiritus sanctus modò nos inuitat, eam gratiam offert, hunc effectum statuit operari in mentibus nostris, si obicem non ponimus. Eiusdem denique nos commonefacit proposita veritas, quam propterea maiore adhuc otio expendere oportet, vt persuasam probatamque habeamus.

Dicitur ergo, quod si velimus patere cor

no-

(a) *Agis & ageris, & tunc benè agis, si à bono ageris. Aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.*  
 Aug. de verbis Apost. & de corrept. & grat.

nostrum amoru diuino , permittendum illi est , vt pro destinato suo effectu nos purget expediaturque ab omni affectu, & quavis motione naturali, vel tantillum immoderata , vt deinceps neque moueamur , neque agamus nisi ex spiritali stimulo gratiæ , iam non solum appetitus nostri ; sed etiam rationis locum occupantis, quo cum illa nos , actionesque nostras omnes, ad Dei arbitrium, penitus moderetur. Hic effectus est amoris spiritalis tam illi peculiaris , quàm igni proprium est calefacere , atque in sese conuertere , quicquid accendit, aut sanè extingui. Ita enim uero amor ignis est consumens & deuorans quidquid terrestre & humanum est , non ad destructionem & ruinam, sed ad expurgationem, uti auro euenit, & ut solum id remaneat, quod purum & merè spirituale est, aut si quis obstat huic effectui, iam ille extinguitur, iam suffocatur, iam perfectus amor esse desinit: Hinc Paulus suos hortabatur , (a) *spiritum nolite extinguere*. Huic autem diuino amoru, solus amor alius aduersatur: duos amores duosque dominos sibi aduersantes cor vnum non capit, hic aut ille loco cedat, necesse est. Nisi cedit amor sensualis , imò nisi naturalis etiam amor purgari & defecari se sinat, spiritali se submittendo , demigrabit amor spiritalis neque magis cum altero consistet, quàm cum Arca , Dagon , quàm aqua cum igne, (b) quàm

(a) 1. *Theosal.* 5 (b) 2. *Cor.* 6.

quàm lux cum tenebris, quàm Christus cum Belial. Præterquam enim quod effecta amoris opposita sint huius vtriusque, nullaque ratione queant consociari, diuinus amor tam purus est ac præstans vt alterius commercium ferre non possit, necessariumque sit vel vt ille loco cedat, vel ab altero illi cedatur. Atque illud significatum volebat Christus Dominus, quando aiebat: (a) *Neminem immittere commissuram panni rudis seu integri in vestimentum vetus; neque mittere vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpi vtres & vinum effundi; sed vinum nouum in vtres nouos mittere vtambo conseruentur.* Quasi dixisset, veteres prauas consuetudines in naturæ procliuitatibus fundatas cum nouis affectibus à diuino sancti Spiritus amore excitatis, malè conuenire.

An non etiam, hanc ob causam, amoris præceptum ijs constat verbis, quæ tam arctè totum cor ad Deum amore prosequendum obligant, vt nisi in primum hoc & maximum mandatum esse refractarij velimus, integrum nobis non sit, aliquam eius partem commodare rei alteri, præter Deum, amandæ, aut præter modum ab illo præscriptum? Qui enim *Totum* dicit, nihil prætermittit. Deus autem tam manifestè indicauit, se totum nostrum amorem velle, vt in ferendo amoris præcepto, sexies iterauerit hanc

(a) *Matth. 9.*

hanc vocem, *totum*, quasi innuens, non amari illum, si non ex *toto* diligeretur. Audi verba præcepti varijs scripturæ locis repetita: (a) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua ex tota mente tua*, (b) *ex totis viribus tuis, ex tota virtute tua*, & ex (c) *tota fortitudine tua*. Dubitari post hoc poterit, quin totum illi debeamus? si verò debemus, (d) an non erit rapina & sacrilegium, partem aliquam demere de toto, quam in rem creatam infumamus? Porro quia sex rerum genera sunt, quæ plerumque & maxime nos ab hoc perfecto amore auocant, nimirum opes, voluptates, honores, homines, valetudo, & vita ideo fortasse toties incultarum nobis voluit, vt illi totum cor, & tota reliqua, quæ seruire possunt amori, consecraremus, ne quidpiam superesset, quod alicui ex illis sex rebus in præiudicium totius Deo debiti, indulgeretur.

Quod si lubeat expendere, quo iure Deus & argumento exigat omnes cordis nostri affectus, comperies eosdem illi tot titulis, tantisq; rationibus esse debitos, vt sine iniuria illi dene-

(a) *Matth. 22. Luc. 10.*

(b) *Marci 12.*

(c) *Deuter. 6.*

(d) *Quod dicit in toto, nullam in res alias diuisionem admittit; quantum enim dilectionis in hac inferiora insumpseris, tantam necesse est, vt demas de toto. Basiliius.*

denegari non possint: (a) Cum enim creator & conditor tuus sit, totus illius es, & si exigit à te totum cor tuum, & amorem, petit quod suum est, & cuius penes te non est libera disponendi facultas. Reliquit tibi quidem libertatem eum amandi, aut non amandi; offerendi illi integrè; aut ex parte cor tuum sed id eo fecit instituto, vt eum liber volensque amares, non autem, vt non amando, aut aliam amando rem creatã, hac libertate abutereris.

Præterea, cum Dominus tuus sit, vti omnem reuerentiam & omne debes obsequium, non potes hæc illi debita officia præstare, quin dones illi integrè cor tuum, hæc enim partes tuæ te obligant ad totum cor illi consecrandum, aut aliàs illi qua dignus est, seruitutem non præstas. Si dicas, fieri non posse vt illi, pro merito, seruiatur: respondetur, te seruiturum illi saltem pro viribus. At parum hoc est, inquires: Verùm, quanto minus est, solùm parte illius totius illi deseruire? Et profectò res stupore dignissima est tantæ Deum Majestatis acceptum habere tantillum cor, illique acquiescere, modò integrum sit: sed longè magis stupendum est, quod homo exorari tantoperè debeat, vt rem tantillam tanto Domino integrè consignet.

Accedit, quòd cum Deus sit vltimus tuus finis,

(a) Totum quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Dño, qui & te fecit, & beneficit tibi; qui tibi ministrat syderiũ cursus. Ber, de quadr. debito.



finis, (a) tua Beatitudo, & summum tuum bonum præter ius, quod hisce titulis habet in omnes tuos affectus & intentiones, etiam te, tuumque bonum spectat, dum præcipit ut illum totis viribus diligas: nam aliàs beatitas esse non potes neque alibi reperies bonum istud, quod in illo tibi offertur. Illi, tibi que maximè iniurius es, si partem aliquam cordis tui seponis voluptati, vel commodis, vel cuius alteri rei creatæ impendendam; perinde facis, ac si palam profitereris eum te beare, atque ex integro satis facere tibi non posse: nam si potest, quid alibi consectaris? aut si sectaris aliquid alibi, nonne clarè demonstras, tibi haberi illum, eius quæsitum boni expertem? Et nonne hoc est iniuriosè illius honori & verbo, toties se omne bonum nostrum esse contestantem obrectare? asserere auderes, aliquid mereri nomen boni, quod non in ipso existat? aut potius, an non censere debes, qualecumque sit bonum, quò is careat, bonum non esse, nisi falsum fucatumque specie boni, & re ipsa esse malum? si per  
impossi-

(a) Vide Augustin. in Psalm. 102. *Quære bonum tuum, ô Anima . . . summum bonum, hoc est bonum tuum: quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est.*

*Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse? tale tu bonum quæris? Coheres Christi quid gaudes, quia socius est pecorum? Idem. Ibid.*

impossibile, daretur bonum aliud, quod æquè explere te posset, atque ille, eius amandi tibi copiam faceret, pro suo erga tua comoda affectu, indulgentiaque: sed quia fieri id nequit, videt cedere in damnum tuum, si aliud amando, illum non ames, adeoque amor, quo te prosequitur, efficit, ut sic à te velit amari.

Atque hæc consideratio non minores, quàm hactenus dicta, vim habet: Cum Deus te amet quemadmodum reuera amat, debes illi totum cor tuum; sola enim amoris remuneratio est redhibitus amor, & pro ratione illius, remunerationem quoque reciproci amoris crescere necesse est: at quæ ratio tuum inter, & Dei (a) amorem intercedet; nisi totum tuum amorem illi largiaris? Cæteræ, quibus tuus amor à diuino discrepat, veniam merentur, cum à tua conditione, quam efficaciorē nobilioremque reddere non potes, desumantur, sed illa quæ inde accidunt, quod illum totis viribus non complectaris, grauiora sunt & probrosiora quàm ut tolerari queant.

Ne siste hinc cursum huius considerationis ulterius illum promoue: & ingredi in sinum tantæ bonitatis te amando, amo-

(a) *Nulla maior est ad amorem inuitatio, quam præuenire amantem: Et nimis durus est animus, qui si dilectionem nescibat impendere, nolit rependere.*  
August. de Catech. rud.

rem docentis ; disce ex illius erga te amore, quid sit Deum amare. Vide, quomodo com-  
prober suum in te amorem , tecum commu-  
nicando se modis prorsus omnibus , vt te in-  
vitet ad te vicissim donandum. communican-  
dumque, quâ par est, ratione. Nulla creatura,  
est, quæ non sit quædam communicatio bo-  
nitatis & amoris illius erga te, ille enim est  
qui te per lucem illuminat, qui te per aerem  
refocillat, per terram sustentat, nutrit cibis,  
quos tantâ tibi curâ suppeditat, ac si nullus  
præter te, hunc orbem incolet, ô quales  
communicationes? sed illæ, quas ope Filij sui  
contulit (a) quasque Filius ipse suâ vitâ, mor-  
te, sacramento, suo Spiritu sancto, & tot gene-  
ribus gratiarum, quas offerre non desinit,  
prosecutus est, an non sunt luculentiora  
etiam sui amoris argumenta? nonne totidem  
sunt lectiones, ex quibus discas, si modò ama-  
re libet, amari illum tota mente, totoque  
corde oportere, cum amare nihil sit aliud,  
quàm se tradere, seque cum amato commu-  
nicare, & ille se tradiderit, tradatque in dies  
tam cumulatè, vt ad dandum se longè sit  
paratior, quàm nos ad accipiendû, & benè col-  
locandas gratias, quas liberalissimè confert.

Sanè quando spiritum Sanctum largitus  
est, suum amorem largitus est ; est enim is a-  
mor quo Pater & Filius sediligunt, ita vt  
nihil amplius illi donandum superfit, nisi

Vt

(a) Vide Bernardum de quadr. debito.

vt continuet hoc donum, vti facit, & vti nunc illud tibi offert modò velis eo pacto acceptare, vt illi in vicem, totum amorem largiaris; aut vt clarè strictimque denunties, nolle te illum amare; quidquid enim simulaueris, dixerisque alio pacto nullus amor est; amor corde, & effectis constat, non verbis & si cor obtinet (a) fortis est vt mors, vt illud rebus omnibus exuat ( quo modo mors separat animam à corpore, & morientem ab omnibus, quæ vivens possederat ) aut amor in corde non est. O Deus qui ferre possim, mihi exprobrari, quòd te non amem? quidni tu ipse accipis cor meum, me non rogato. Fili mi, nullus in terris est amor qui idem sit voluntarius: voluntas enim amandi & se penitus tradendi amato, amorem efficit: adeoq; tamen si nihil donandum superesset, nisi sola hæc voluntas, satis donatur modò quod semel donatum est, non retractetur.

(a) Cant, 8.

## II. PUNCTVM.

*Aduersio ad vitam præteritam, &  
statum præsentem.*

QVamquam notari possent peculiaria quædam vitia aduersus hanc veritatem, qualia forent, non agere ex stimulo amoris, nimio adhuc affectu inhærere rebus creatis, illi-

illib  
gen  
occ  
car  
illa  
sæp  
pro  
rect  
siue  
con  
com  
pro  
com  
gau  
den  
hui  
quæ  
vari  
dam  
H  
qui  
pon  
hïc  
aure  
geni  
qui  
ett, v  
quo  
(a) I  
su  
&

illiberalem se erga Deum præstare, non satis generosè aggredi propensionem suam, in ijs occasionibus, quibus par esset suum testificari amorem, & alia eiusmodi: quia tamen illa vitia nimis generica sunt, & aliàs iam sæpius observata deplorataque; aduerte hinc pro vitio peculiari, spirituales amorem directius oppugnante, quod in rebus omnibus, siue tua, (a) siue aliorum gratia, agendis, continuò permittas naturæ, ut tua privata commoda spectet potiùs, quàm Dei vel proximi; & pro modulo speratorum tuorum commodorum, insistas operi aut declines; gaudeas, vel contristeris, loqueris, vel fileas. denique affectus animi ductum sequuntur huius notitiæ & opinionis mente conceptæ, quæ illicò abripit appetitum, eumque detinet varijs persuasionibus, amorem proprium, in damnum amoris spiritualis, nutrientibus.

Hic enim verò naturalis nostri amor est, qui propriè effectibus amoris spiritualis opponitur, nam de effectibus & actibus amoris hinc controversia est, non de habitu. Quia autem amor ille nostri tam est naturæ congenitus, ut ita penitus extipari non possit, quin aliquid reliqui remaneat, aduertendum est, vitium quod hinc committitur, nō tam esse quod amorem illum habeamus, quàm quod illum

(a) *In multis caligat oculus puræ intentionis, respicitur enim citò in aliquod delectabile, quod occurrit.*  
&c. 3. de Imit. Ch. c. 33.

illum habeamus , quàm quod illum suis actibus effectisq̄ue foueamus ac nutriamus : nutritur autem ac fouetur cogitationibus , quæ occasione rerum sensibus obiectarum subeunt animum : nam à cogitationibus excitantur affectus & motus animi , cupiditates & propensiones in bonum sensibile, obnixus & auersiones à malo contrario, ex quibus fit vt intentiones & desideria formantur , quæ nos impellunt ad capeſſenda prorsus aliter agendi decreta, quàm agendum esse, in ratione, cognoueramus. Atque hoc caput est mali, quod consueſcamus vitam exigere ad normam amoris proprii , & prius non attendamus ad spiritualem , quàm alter suas partes peregerit vòtorumq̄ue suorum fuerit compos, & quàm viderimus nos motionibus sensualibus , aut nimium naturalibus implicatos : Tum enim oculos aperit ratio aduertitq̄ue insidias amoris proprii , sed sæpe serius est , & sæpe, ne animaduertit quidem, nisi tenuiter , cùm vesperi conscientia latebras excutit. Cùm enim hic amor tam secundùm naturam sit , vt sine grauiore tumultu & perturbatione in mentem se insinuet , prius intendit profecutusq̄ue est omnia sua emolumenta , quàm intendisse , aut damnum aliquod inesse illi profecutioni , ratio deprehendat. Prorsus , vt quando Eva pomum vetitum Adamo porrexit , inhaesit Adamus contemplan-

fru-

fructus vxoriq̄ue audiendæ, quæ suadebat eius esum, & ita cessit eius persuasiombus, vt crimen admitteret, tum demum se colligens calamitatem suam, sed seriùs, agnouit. Est ista (a) *fascinatio*, quæ teste Sapiente, sic obscurat rationem, vt partes officij sui non perspiciat, priusq̄ue egerit malè, quàm de malè agendo deliberet; non tamen definit malè actum esse, cum deliberasse oportuisset, & non alium ob finem nobis ratio & gratiæ concessæ sint.

Agnosce igitur vitium, & miseras inde conlecutas & quæ, nisi prouides, consequi adhuc possent aut propagari. Quò magis agnosces te huic obnoxium, eò faciliùs occurrere illi poteris, tantoq̄ue eris miserior, quantò minus hanc in te miseriam animaduertes; esse enim illa non desinet, neque tamen adhibebis remedium. Mi Deus, inficias ire non possum, quin proprium habeam amorem, sed ita comparatus videor, vt eodem carere vellẽ, vt illum nõ amẽ, nolimq̄; quidquã amare præter te Fili, satis infamis est amor proprius, vt non ametur, sed nomen commutat, sæpe se appellat nomine necessitatis, honestatis, decori, & rationis, vt sub pulchra, & vt videtur, innocenti horum vocabulorum specie, se faciliùs insinuet, tutiusq̄ue grassetur.

(a) Sap. 4.

III. PVN.

## III. PUNCTUM.

*Proposuitum in futurum.*

**M**alo remedium hūc foret, si anima tua Deo plena, sanctoque illius amore, amor hic anteuertat alium, & in quibusuis occasionem tam arctè cor tuum affigeret diuinæ quærendæ gloriæ, tuæque perfectioni ad eius honorem augendæ, vt nullus amor proprio locus, aut pars relinqueretur. Ea sententia est D. Bernardi, quod sicut Spiritu sancto descendente in Apostolos, impleta est tota domus: ita idē adueniens in nos, impleat totam domum animæ nostræ; illustrando intellectum cælestibus documentis (a) inflammando voluntatem, ad diuinam promptissimè exequendam, & in memoria conseruando peculiaris illa quibus sēper agere ex præscripto notarum veritatum statuimus, decreta Domo sic Dei spiritu impleta, nullus erit locus amor proprio, qui non nocet, nisi diuinum præueniat, adeoque si præueniatur, nullum noxæ periculum est.

Nihilominus, quia obtineri vix potest, vt non amor ille naturalis semper aliquid molliatur: aptissimum remedium, & postremum decretum quo obfirmari debet animus, est ita attendere primis cordis motionibus, quæ  
à repræ-

(a) *Bern. ser. I. in Pentecost.*



à repræsentatione boni vel mali alicuius subitò exsurgunt, vt illicò sistantur, ad alia mentē auertēdo, (a) nulla prorsus habita eius vel boni vel mali ratione, nisi vt flocci fiat, & quasi nullus nos sensus amoris proprii affecisset, immobiliter inhæreamus *vni illi necessario*, quod est, Deo se vnire, ex illius iudicio res æstimare, & illas diligere, eoq̄ue loco habere, quo illas ipse haberi vult, aut permittit: secundum quæ, cætera omnia vana stultaq̄ue sunt in homine. Nam, numquid verum est res omnes tales esse, quales Deus illas cognoscit, æstimat & vult, & extra illius iudicium & voluntatem, nihil esse, nisi mendacium & illusionem? illic igitur figendus est animus, & cætera ludibrio habenda.

Atque ita frænatur appetitus, ita sistitur impetus amoris proprii, velut inediã afflicti, cum suarum pabulo cogitationum destituitur, mente, ad primos illius motus, statim alibi se occupante; & ita paulatim imminuitur, vires amittit & robur, & tranquilla animæ possessione fruitur amor spiritualis. nam sicut verum est, quod asserit Augustinus, (b) *eum*

T

*minuitur*

(a) Stat super hæc mutabilia sapiens & bene doctus in spiritu, non attendens quid in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilitatis &c. 3. Imit. Chr. c. 33. (b) Nutrimentum charitatis est, imminutio cupiditatis, perfecta charitas, nulla cupiditas, quis igitur eum nutrire vult instet minuendis cupiditatibus. Aug. l. 83. qq. q. 36.

*minus Deum amare, qui amore naturali aliquid cum illo amat, quod non amat propter illum: ita certum quoque est, ibi maiorem & intensiorem esse Dei amorem, vbi minus fuerit amoris proprii: atque ita saepe numero magis ille Deum amat, qui motum aliquem proprii amoris compescit, quam qui re ipsa eliciens actum amoris diuini, interim tamen aliquo affectu rei creatæ adhæresceret, aut paratus non esset, cohibere motum amoris proprii, quem deprehenderet, aut nollet aduigilare, vt is deprehenderetur: præsertim cum illa proprii amoris cohibitio fiat intuitu ipsius Dei, vt quis se Deo, ipsius iudicio & voluntati vniat potius, quam vt ineptis illis naturæ motionibus distineatur; Itaque non solum impedit actum amoris proprii, quod, profectò leue non est, verùm etiam producit illum amoris diuini, qui adhæsiō dicitur, quo coniungimur Deo, quiq̃ue actus est excellentissimus, meritiq̃ue tanto amplioris, quanto sapius illum exercemus, vt fieri necesse est in oppugnatione amoris proprii, hostis scilicet inquietissimi, & noua bella semper molientis.*

Quod ad me attinet, (a) *in Domino meo gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo: æstiment alij bona & mala, vt lubitum est, de ijs gaudeant, tristentur ve, pro ratione iudicij sui, quo illa æstimant, ego illa eo loco habeo, quo Deus.*

Quis

(a) *Habac. 3.*

Quis similis Altissimo ! O Domine, quis similis tibi, vt te derelicto, vt vilipenso iudicio tuo & voluntate tua sequar opiniones & commenta, quæ mihi natura corrupta effingit? Et si cælum omne mihi pateret, nisi Deum meum istic complecti licet, quid mihi est in cælo? & quid terra, quid orbis vniuersus continet absque Deo, (a) quod velim? Deus cordis mei est, in illo meus honor, mea voluptas, meæ opes, ille pars mea est, quam specto in bonis omnibus ad vitam & æternitatem profuturis. Habes verbis expressum, quod re ipsa efficit amor adhætionis: profunt verba ad effectum producendum, sed si verba carerent effectum, malum effectum, quàm verba.

Hyperbole fuit, & quidam loquendi modus, testando potius affectui, quàm rei præstandæ, accommodatus, quando Pharaon Rex dixit Iosepho (b) *absque tuo imperio, non mouebit quisquam manum aut pedem, in tota terra Aegypti.* Solius Iesu Christi est, eiusque amoris, tale imperium in hominem exercere, vt homo mouere se non ausit citra eius ductum, voluntatemque. Quandoquidem amor, vt affirmat Bernardus, de Deo triumphauerit, æquum est vt de nobis quoque triumphet; & cum, Apostolo testante, *In hoc Christus mortuus sit & resurrexerit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* dominari autem sciamus illum

1 2

(a) Ps. 72. (b) Gen. 41.

illum ita in mortuos, vt eorum nemo se moueat absque eius facultate & imperio, quid reliquum est, nisi vt eadem potestate regnet in nobis; & vt regnet, frænctur amor proprius, qui eius imperio peruicaciter obsistit.

Veni Domine Iesu, (a) veni in subsidium pauperulæ illius animæ, vbi te regnare par est; aufer scandala & tumultus de regno tuo, vt pacata fruaris possessione. Amor proprius, illa cupiditas opum, honorum & voluptatum, ad defectionem appetitus meos & affectus sollicitat, certat in me, aduersum te & me; tantum renitor, quantum possum; tantum possum, quantum iuuor à te; satis nunc quidem sum potens, vt contester, nolle me regem alium, præter te; sed futura me terrent, spero tamen ope & auxilio tuo, fore hoc constans in corde, in ore, & in omnibus vitæ meæ actionibus, decretum meum, vt nolim alium amorem, alium Dominum ac Regem, quam Iesum Christum.

(a) *Ex Bernardo serm. 4. super missus.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS  
in Vigesimalam quartam veritatem.

I. P V N C T V M.

*Declaratio eiusdem.*

**M**editans de descensu Spiritus sancti in Apostolos, peculiariter expende, quomodo

modo illos confestim in alios homines commutarit, in homines omninò spirituales, abstrahendo illos ab omni rerum terrenarum affectu, & adeundo possessionem tam integram cordis illorum & animæ, vt in ijs nihil penitus reliquerit, quod non esset spirituale. Eam ob rem descendit in forma venti & ignis, ad difflandum, aut exurendum consumendumque quidquid residere adhuc in ijs posset sensualis & imperfecti. Non erant amplius homines de primis dignitatibus ambiciosè disceptantes, neque qui ad primos suppliciorum aspectus cadebant animis fugamque capessebant: sed è contrario, nihil iam cogitabant neque loquebantur, nisi de salute aeterna, de virtutibus & medijs eò perueniendi, præcipueque de humilitate & de patientia; iam tan opere in contumelijs & verberibus, pro Magistri sui amore, ferendis exultabant, quantum ea prius formidauerant.

Hic verus effectus est amoris spiritualis, qui cum sit participatio quædam Spiritus sancti, nos penitus efficit spirituales, abstrahendo nos à reliquis rebus omnibus, tantumque nos Deo coniungit, quantum à creaturis, & ab amore nostri nos separat, excludens quidquid spirituale non est. Atque hoc rectè comprehendere animo oportet, nam plerumque hîc offendimus, & statui vitæ nostræ spiritualis obest plurimum, quod, vt sumus spiri-

tuales, non cogitemus nos ex integro, & non solum ex parte, tales esse oportere; quod non intelligamus, ad sincerum Dei amorem requiri, ut cor terrenis humanisque affectibus sit vacuum; Deum minus amari, si cum illo aliud quiddam immoderate ametur; hoc agi assidue à Spiritu sancto, ut nos expurget ab omni alio affectu, ne quidpiam præter Deum amemus, nos ea in re potissimum illi obistere; Denique hæc collocandam esse nostram operam, hæc excitandos animos, & omnia proposita nostra confirmanda.

Sic est amor diuinus, ut competitorem & riualem in eodem corde non patiatur; tam pretiosus est, ut nolit cum affectu vili terrenoque commisceri: totum cor desiderat, aut illius nihil omnino. Diliges me, ait diuinus ille nostrarum mentium amator, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis, ex tota virtute tua, & ex tota fortitudine tua.

Qui totum dicit, nihil reliqui facit, & quantamcumque portionem illi dederis, nisi dederis totum, non das, quod exigit. Si verò ex æquo & summo iure id exigit, profecto sine summa iniuria illi negare non possumus. Etiam obiter cogitantibus, quod noster sit creator, noster Dominus tam beneficus, noster finis vltimus, nostrum summum bonum, quomodo amorem & affectum in nos suum testetur, illicò occurrit summè nos obstric-  
ctos

ctos esse ad illum amandum, & toto corde amandum: nam aliàs amari se non putat, cum amare nihil sit aliud, quàm se integrè cum amato communicare, cum ille eo pacto nos amet, atque ita amari velit à nobis sanè aut fatendum tibi est, quod nolis eum amare, aut toto corde, illique penitus addicto, amandus est. quam in partem inclinas?

Anime mi, dare hoc auderes, quod Deum non diligas? sed iurare ne posses & subscribere, quod eum diligas toto corde tuo? si autem non diligitur, nisi ex toto corde diligatur, quid dices? O Deus? fac, cognoscam quid obster, quominus integrè me tibi dedam, id enim facere in animo votoque est.

## II. P V N C T V M.

### *Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.*

**V**Ti satis non est, instructum esse habitu diuini amoris, nisi operetur, producatque suos effectus, ita culpa non est, habere amorem proprium, cuius semper aliquid in animi penetralibus residebit: sed hoc malè, quod oblatis occasionibus amor hic diuinum amorem anteuertat eiusque præpediat effectus.

Nota, quod ad primam rei occurrentis specie,

ciem, illicò imaginatio tua bono vel malo sensibili, istic reperto, feriatur : & applicatio animi ad hoc bonum vel malum ita te detinet, vt omnes cogitationes tuæ vertantur, vel in bono illo apperendo, vel malo declinando, vnde existunt plurimæ aliæ perturbationes, quæ deprauant intentionem tuam, vitiant voluntatem, efficiuntque vt alius omninò sis in opere & actione, ab eo, qui esse decreueras, cùm has veritates contemplareris. !

Nónne verum est, quod, post capta sæuia te abijciendi, patiendique, decreta, si audiueris, aut suspicatus fueris, nescio quid, aduersum honori tuo statim totus sanguis effluerit, senseritque se mens implicatam cogitando, timendo, auersando, & volendo alia omnia, quàm quæ prius volueras, statuerasque? facit id amor proprius, dum præuenit spirituales, dum suis propensionibus te detinet, & dum tu illum foues tua illa applicatione animi, & cogitationibus voluntarijs, aut semi-volitis, quæ te, vt sapiens loquitur, fascinant, ac impediunt, ne re ipsa dones totum cor tuum, & ne sis omnino spiritualis, quemadmodum esse destinaueras. Hæ enim à natura ortæ cogitationes, quæ præueniunt, producant affectus, qui ipsi quoque naturales sunt & sensuales, aut nimium humani occupant & possident cor, quod esse deberet sub imperio amoris diuini vt ab illo moueretur, agereturque secundum intelligentiam

tiam



tiam veritatum & ex his conceptorum pro-  
 positorum, neglectis intentionibus & stimu-  
 lis partis sentientis : Nam etsi se moueat ap-  
 petitus, nullum vitium est in primo illius mo-  
 tu, sed in secundo, & alijs consequentibus, qui  
 fiunt, dum primo inhærent, quem vi amoris  
 spiritualis cohibere oportuisset & hæc mali  
 summa est quod amor ille proprius tam sit  
 naturalis, vt non facile deprehendatur, seque  
 speciosis honesti, decori aut necessarij nomi-  
 nibus inuoluat, ô simulationes, ô perfidias, ô  
 obnixus in spiritum sanctum!

### III. P V N C T V M.

#### *Propositum in futurum.*

C Vm vitium in eo sit, quod inter agendum  
 proprius amor spiritualem anteuertat,  
 remedium, & propositum esse debet, vt spiri-  
 tualis admodum vigilans & cum diuina gra-  
 tia sit efficax, ne antuerti se patiatur; & si  
 fortè imaginatio à sensibus mota instiget  
 appetitiones vel ad bonum sensibile, vel in  
 malum contrarium, necesse est vt attentus  
 animus rideat hanc imaginationem, velut  
 fallaciam & dolum, quem menti struit natu-  
 ra deprauata, dum efficit vt bonum malum-  
 ue non suis momentis ac ponderibus, sed ali-  
 ter, ac reuera, sunt, æstimentur; & in locum  
 huius falsæ imaginationis debet mens spiritu  
 T 5 Dei

Dei & sancto eius amore impleta, sibi proponere ipsam rei, de qua agitur, veritatem, & ex Dei iudicio atque æstimatione verum eius bonum, malumve statim expendere: firmiter adhæreat illi veritati, illi diuino iudicio cui illa innititur, doleat, gaudeatve iuxta illustrationem, & affectum, quem de illa concepit: & interim flaccescent vires amoris proprii, cogenturque is loco cedere, vti tenebræ ad ortum solis dissipantur, vti mendacia veri aspectum declinant, & vti cuncta cedunt spiritui & amori diuino, modò nullus agenti intercedat, & non fouearur sustenteturve proprius amor, qui illi resistit.

Hac ratione coniungimur Deo, dum à nobis ipsis separamur, & hic actus est adhæsiōnis & conformitatis, in amore nobilissimus, qui non tam situs est in contestatione sui in Deum affectus, neque in productione aliquot actuum interiorum huius charitatis, quàm in abstrahendo se ab omnibus illis opinionibus & humanis iudicijs, quæ cupiditas & amor proprius in corde solet commouere, vt quid vnicè adhærescat seque conformet iudicio integerrimo, quo Deus bona malaque æstimat, & eius voluntati ea pro arbitrio suo sapientissimè disponenti. Motum cieat natura corruptior, quantum potest, & mundus vniuersus illius motibus obsequatur, & de bonis malisque vti lubebit ferat iudicium; quod ad me attinet, inquit cum Propheta,  
ego

ego in Domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo, neque aliter censebo vlla vera bona quàm quo modo ille censuerit; statueritque & quia damnat potius, quàm approbat voluptates, honores & commoda huius mundi, quibus proprius amor sustentatur, eadem cum illo damnabo: & quia potius approbat quàm damnat, aduersos casus, incommoda, ærumnas, & alia huius vitæ mala, quæ alimenta sunt & specimina amoris spiritualis, hinc ea cum illo quoque approbabo, in his gaudebo, cum mœrere alias solem; & deinceps meos omnes affectus cum illius affectibus conformabo; vt cum idem fuerit cor meum cum corde Iesu, eadem quoque sit vitæ ratio, idem iudicium & idem propositus finis Deo integrè placendi, & omnes illius explendi voluntates, cum in tempore, tum in æternitate. Amen.

## C O N S I D E R A T I O

in octauum hunc diem.

*De examine conscientie & Confessione.*

1. **P**Ræmissa oratione solita: considera quanti intersit rectè instituire suum examen & confessionem, cum sint cæterorum malorum nostrorum remedia, sed quæ non profunt, nisi debito fiant modo.

T 6

2. Ob-

2. Obseruásne accuratè quinque puncta examinis in quo maximè perfunctorius es?
3. Nónne verum est, te non satis ardentè exorare lumen à Deo ad vitia tua cognoscenda necessarium, quasi per te assequi illa posses adhibita inquisitione tua.
4. Contritio quam elicis, penetrátne intima animi, vt inde radicitus evellat affectum rerum, quæ tuorum sunt causa peccatorum.
5. Vide in quo sita sit emendatio, quam proponere necesse est: & quomodo aduersus præcipua tua vitia vtaris examine particulari.
6. Paratúsne esses mori statim ab examine nisi ita dispositus sis, verendum est, ne illud non rectè peregeris?
7. Quomodo pro tuis peccatis satisfacis?
8. Non putas plura clam esse & occulta, quàm aperta & agnita?
9. Non experiris animo te esse collectiore, moderatioreque post examen, quàm ante? aliàs malum esset iudicium.
10. Præparásne vesperi prius meditationem quàm cubitum concedas?
11. Non adnotas culpas aliquas, quas censés confessione expiandas?
12. Quam adhibes præparationem ad hoc poenitentiae sacramentum.
13. Quo candore & ingenuitate reuelas peccata tua natura nequidquam repugnante?
14. Non

14. Non leuius & magis perfunctoriè illa decurris, in quibus immorari diutiùs oporteret, tum ad maiorem verecundiam, tum ad plenius satisfaciendum diuinæ iustitiæ, quam modicæ voluptatis gratia offendisti?

15. Non seridò redis ad mentem dicens: quid feci offendendo Deum, bonitatem nimirum ipsam, quæ meris continuisque me beneficijs afficit, quibus ego non nisi maleficia rependo.

16. Non animaduertis secundum in eadem specie peccatum, grauius esse primo, & tertium secundo, & ita deinceps: & fortassis illud, quod modo confiteris, esse centesimum, post veniam toties tibi indultam, & post tot factas non amplius admittendi, sponfiones? & ecce nihilominus illud admifisti eadem, quâ primum, licentiâ, & æquè leuem ob causam, etsi enim nulla sit vnquam causa peccandi, ne ad auertendam quidem totius huius vniuersi ruinam, occasiones tamen quas arripis, tam leues sunt, vt vel hoc peculiaribus sit dignum lacrymis: at mentem eò aduertere tibi non lubet.

17. Scisne, vt à peccato etiam leuiori absoluaris, necessariam esse talem detestationem rei, quæ te ad peccandum induxit, vt omninò constitutum esse tibi debeat, non amplius illam amare, adeoque si adhuc afficeris vanitati, dum te de illa in confessione accusas, tantundem est ac si eam non confiterere.

18. Quid

18. Quid censes de confessione generali alicuius Hæretici, aut hominis grauium noxarū publicè rei: nonne illum commune faceres, imposterum cauere scelus debere? quidni eodem modo post confessionem peccati leuioris te compellas, cum tam obliget te confessio tua, vt ab eo velis abstinere, quàm alium in grauioribus, sua. si confessarius es, qua ratione tuos pœnites ad contritionem disponis? quâ illos audis? quomodo instruis? & verbo, quâ hoc diuino munere defungeris?

19. Quas pœnas de te sumis ob tot tantaque à te commissa scelera? quales facis elemosynas, qualia ieiunia, quales corporis perflagella & cilicia, castigationes, quales denique vel sponte & vltro, vel ex imperio & necessitate pœnas subis? & quo spiritu interno, affectuque? Nihil vltra facis, præter ea, quæ à confessario tibi præscribuntur?

20. In macerando castigandoque corpore hunc modum serua, vt perdurare possis, consentaneè ad statum tuum. Ne quid nimis, sed neque ex ignauia tibi parce. Non minus sit ex virtute & ratione, quando pœnam aliquam omittis, quàm quando illam carni adhibes. Lumen postula & gratiam, quibus necessariam moderationem cognoscas.

LE-

## L E G E N D A.

*Ex sacris litteris, Finis capitris 10. Deuteronomij, Caput 4. Epistolæ ad Ephesios & 3. Epistolæ ad Colossenses.*

*Ex libello Exercitiorum: Meditatio de amore spirituali & Regulæ de scrupulis dignoscendis & vt cum Ecclesia sentiamus.*

*Ex Thoma Kempensi capita 5. & 6. libri tertij.*

S V M M A E T C O N C L V S I O O M N I V M  
Exercitiorum.

**C** Vm ita fit, vt res omnes tendere debeant ad finem suum, nosterque fit Finis, vt in omnibus actionibus nostris placeamus diuine summæque Maiestati, eò verti omnes nostras cogitationes & studia necesse est. Verum, quia deprauata natura suis in voluptatem, in honorem, & priuata commoda, propensionibus nos aliò avertit, tantum vigilantia atque operæ cum diuina gratia adhibendum est, ne motus illi naturæ aliquid à nobis euincant, quantum placere Deo volumus: nam aliter placere illi non possumus, quin perdimus nos cum regia sit ad perditionem via, sic vitam & mores ad genium & arbitrium naturæ efformare.

Eam ob rem Christus Dominus inter mortales

tales agens tradidit nobis documenta & exempla, naturæ propensionibus ac effatis mundi admodum contraria, vti ex Euangelio discimus, vti illius verbis, exemplo, gratiaque excitati, abstinemus ab omnibus, quæ naturæ lenocinantur, sustineamus quidquid illi molestum atque acerbum est, præsertim cum euitandi non est modus, & agamus, quidquid aggredimur ex ipsius gratia & spiritu potius, quàm ex inclinatione affectibusve naturæ, nisi iidem quoque à gratia & ratione dirigantur.

Non existimemus esse seriam morum conuersionem, veram culparum pœnitudinem, neque securam de salute obtinenda fiduciam, nisi ex Apostoli monito, (a) *expoliantes nos veterem hominem, induerimus novum.*

Non arbitremur nos exercere virtutes, nisi abstinendo vitijs contrarijs, ab inclinatione naturæ prouenientibus, & sustinendo difficultates quouis momento occurrentes, nulla habita ratione eorum quæ corrupta natura vel appetit vel abominatur.

Nunquam persuasum habeamus nos flagrare diuino amore, nisi succensos odio nostri, quo stimulemur ad vitam potius spiritaliter secundum Deum, quam secundum hominem naturaliter, exigendam.

Mirum nobis non videatur, quod non liceat homini viuere secundum hominem, *quia*  
teste

(a) Coloss. 3.



teste Augustino, (a) *nec Angelo secundum Angelum sed secundum Deum, vivendum fuit, ut staret in veritate.* Nam secundum Angelum vivere est vivere naturaliter, ut autem Angelus vivat secundum naturam suam, perinde esset, ac si sui causâ viveret, ac si suus ipse foret Finis ultimus, suaque beatitudo: quod sanè falsum est, atque illud è cælo præcipitem dedit principem Angelorum: necesse igitur est ut secundum Deum vivat, non secundum Angelum. Quod si verum est, de natura tam præstanti, qualis est Angelica quantò certius e. it de tam vili natura qualis est hominis, etiam per peccatum eousque depressi, ut ex regij Vatis sententia, *comparatus sit iumentis insipientibus & similis factus illis.* An non igitur homini necessarium est, ut ultra naturæ suæ conditionem se attollat, & non vivat nisi secundum Deum?

Quod si nimium tibi videatur, aggredi talem vitam se superiore & naturæ suæ aduersam, & molitionem esse quasi supra vires, aut nimis difficilem quàm ut executio sperari queat: memineris nihil aliud hîc exigî, quàm vitæ rationem aduersam naturæ depravatae, quæque si secundum Deum est futura quoque sit conformis naturæ compoti rationis & spirituali: & quia nihil magis consentaneum est homini, quàm vivere secundum rationem, neque Christiano, quàm agere

secun-

(a) *De civ. Dei l. 14. c. 4.*

secundum gratiam, hoc susceptum vitæ spiri-  
 tualis ducendæ institutum nulli nimis ar-  
 duum, meritò videri debet. Nam vt taciti  
 prætereamus gratiam, quæ mitigat omnes  
 difficultates, quid excogitari potest aptius  
 ad oblectandum hominis animum, quàm  
 quòd sciat se scire & sequi veritatem, quòd  
 securam sibi reddat salutem suam? quòd Deo  
 suo faciat satis? quòd assequatur finem suum  
 vltimum, propter quem conditus est? quòd-  
 que cum illi hoc vnicum peragendum nego-  
 rium incumbat, tandem hoc medio expediat  
 felicissimè aliàs æternum perituris; an non  
 hîc argumentorum satis, vt quis obfirmet  
 animum? obfirmato verò vii par est animo  
 quid potest esse difficile? & vt esset aliqua, in  
 exequendo proposito difficultas & molestia,  
 oporteret tamen illam generosè complecti,  
 ob causam tam honestam, qualis est, Deo ser-  
 uendi, asserendi que salutem suam.

Si ergo post hæc, adhuc quereris, causasque  
 que occurrentes difficultates non rectè fir-  
 mati propositi vitium est, si verò in eo capien-  
 do confirmando que sentis molestiam, fidei  
 vitio accidit, vitio neglectæ considerationis,  
 vitio non satis ob; mentis oculos exhibitæ  
 veritatis, neque satis expensorum stimulo-  
 rum, qui nos ad ei obsequendum, adstrin-  
 gunt; est, quòd non cogites moriendum  
 esse, agi de salute vel damnatione sempiterna;  
 quòd nō agnoscas, neque satis expēdas animo  
 quare

quale illud sit nostræ æternitatis negotiū, nam satis perspicuū tibi est, nihil videri admodum difficile aut arduum, quando de magni momenti negotio agitur; est, quòd non recorderis Christi Iesu, cui hoc vnicum salutis nostræ negotium præ oculis fuit, qui que ea de causa tantos subiit labores: est denique quòd Deum non ames, quisquis enim alium diligit eius obsequio se etiam lubens hilarisque impendit atque ad eò si Deum diligeres, vti revera per eius gratiam potes, non esset tibi laboriosum, (a) secundum illum vivere; aut laborem ipsum, luculentam nimirum tui erga illum amoris testificationem amplectereris, & hanc tibi oblatam testificandi amoris occasionem, ex animo gauderes.

Ne igitur ultrà dixeris diuino in seruitio esse difficultates, aut eas esse ad te inde reuocandum idoneas, sed fatere nullam esse in te diuini scintillam amoris. Quin, in difficultatibus, & tempore tuo, has tibi exprobrationesingere, Quid anime mihi itane Deum non diligis? Nihil probrosius intolerabiliusque obiectari posset homini ingenuo: tot enim obligationes tantaque ad amandum Deum incitamenta sunt, vt in nos ipsos feramus damnationis sententiam, si agnoscamus illum à nobis non amari. Et qua fronte prætexe-

(a) Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. Gen. 29.

prætexere possumus hęc difficultatem, cùm enim facilius nihil sit neque acceptius, quàm affectu ferri in rem amabilem, quidquid seruire potest accendendo ad amorem animo, tam certò Deus complectitur, vt eum nemo queat nosse, aut vel cogitatione delibare, quin illico in eius amorem rapiatur.

Accipe sex hasce considerationes, veluti totidem alas Seraphicas, quibus diuinum illum amorem assequaris.

Prima est, de dignitate, bonitate, pulchritudine, &, ne plura, de amabilitate quæ in Deo existit: Bonum nemo non amat, & quid Deo melius est.

Secunda est, de amore quo nos prosequitur. Potentissima ad amandum illecebra est, amari: & quis amor est par illi, quo Deus nos amat?

Tertia est, de beneficijs, quibus nos deuinxit, donando nobis Filium suum, imperitiendo continuas gratias, & media illum amandi; & maiora in futurum bona, si illum dilexerimus, præparando. Nõne hoc vim habeat in cor nostrum? aut necesse sit cor esse omnino saxeam & insensile, si tot tantisque beneficijs tum præteritis, tum præsentibus, tum futuris in omnem æternitatem, tangi se conciliarique non sinat?

Quarta est de præsentia & communicatione continua, quam habet in nobis & nobiscum,

cum, siue per res creatas, siue per seipsum, modo eius familiari cōsuetudine vti velimus. quid ad connectendos animos & corda efficacius esse potest, quàm vnà versari, vnaque habitare, præsertim si suavis grataque sit cōsuetudo? & quid suauius Dei congressu, qui nihil prohibentibus nostris inurbanitatibus, & culpis, non desinit benè nobis facere, aut si permittit mali nobis aliquid euenire, maioris semper boni nostri causà id facit, ex affectu, quo fertur in nos, & ad auertenda grauiora mala, minus illud permittit.

Quinta est, de ingenti quo flagrat, vt à nobis ametur, desiderio, & cuius assidua edit argumenta: hic omnium ipsius operum & beneficiorum est Finis: id vnum spectat, id solemnibus verbis præcipit; nihil illa extra amorem acceptum est, solus amor illi sufficit, ei acquiescit. An non portento simile est, quod agnoscens tot iudicia, quibus manifestè Deus testatur amari se velle a me, ego nihilominus illum non amem? singularis sanè foret gratia, si vel amari se pateretur: & postea quàm id præcipit, quàm nos pellicit omni genere blanditiarum, quàm nobis in eam rem confert spiritum sanctum, & essentialem suum amorem, nihil magis commouemur, amamusque potius miseram creaturam, quandam voluptatem, inanem aliquam gloriam, quàm illum! id enim uerò perquam horrendum est.

Seq.

Sexta, Quòd cum Deus sit finis noster ultimus, nostra beàtudo, nostrum vnicum & verum bonum, non possumus maiorem animi tranquillitatem, ampliorem gloriam, & cumulatiore bona, quàm in ipsius amore reperire. Amore illum possidemus in hac vita, & ab illo possidemur; (a) hinc sacer textus affirmat nihil maius excellentiusque esse charitate, nam Deum tradit animæ possidendum, quantum illa capere eum potest, redditur autem indies ad eum capiendum tantò aptior, quòtò magis crescit in amore Dei, & in amore sui decrescit. Hæc consideratio admodum efficax est, si enim anima non sectetur nisi bonum suum, bonum autem illud non sit, nisi in Deo, cur deseret illa Deum suum, qui solus est verum ipsius bonum, & sine quo cætera omnia illi sunt vanitas, afflictio & iactura?

Quæ cum ita sint, quid sequitur, nisi, quàm gratum est amare rem amore dignam, tam facile & volupe esse amare Deum? & quia nulla remanet difficultas, vbi Dei est amor, nullam quoque superesse excusationem, neque obicem, quo minus compescamus affectus nostros propensionesque nimium naturales, vt tandem secundum Deum viuere incipiamus; ideoque statuendum esse, quod velimus eò omnes cogitationes studiaque conuertere, vt Deo placeamus, & vt illud assequamur,

(a) 1. Cor. 12. & 13.

quamur, naturam nostram vbique ex eius voluntate arbitrioque efformare nos debere.

Quòd si lubeat vti norma à nobis præscripta, memineris obseruare, quòd in omnibus, quæ occurrunt agenda, vel aliquid sit in potestate tua, vel non. Si quid potes, age pro viribus tuis & gratiæ, secundum virtutem, quæ propria est actioni propositæ, non attendendo quid censeat, suggeratve natura, cum inde sit abstinendum. Vbi verò nihil potes, ita te diuinæ prouidentię accommoda, vt ne velis quidem plus posse; & in eo si natura difficultatem aliquam vel molestiam persentiscat, læto animo tu illam sustine, fac è necessitate virtutem, consensiendo diuinæ dispositioni, maiorem facultatem neganti; sed verò etiam vt tandem concludamus, fac ex virtute necessitatem, hoc est, ita tibi constitutum sit, semper agere ex virtute, in omnibus tuis actionibus, ac si quadam necessitate eò adigereris, & quasi aliter agere non posses, tamen si reuera possis; sed quia id ita firmiter decreuisti, vt, quemadmodum eo fine à Deo accepisti libertatem, vt illi liber volensque deseruires, sic illi hanc libertatem vtrò restituas, ad certam illi & quasi necessariam exhibendam seruitutem, & ad prosequendum illum constanti vsque ad mortem & æternitatem, amore, nolendo magis eximi aut excusari, quàm si re ipsa careres omni libertate, &

quasi

456 VIGESIMA QUARTA VERITAS.  
quasi quædam fatalis necessitas eò te com-  
pelleret.

Suscipe, Domine, vniuersam meam liber-  
tatem. Accipe Memoriam, Intellectum, atque  
Voluntatem omnem; quidquid habeo vel pos-  
sideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo,  
ac tuæ prorsus voluntati trado gubernan-  
dum. Amorem solùm tui, cum gratia tua mi-  
hi dones, & diues sum satis, nec aliud quid-  
quam vltra posco. *S. Ignatius in lib. Exercit.*

A. M. D. G.

### Interpres religioso Lectori.

**C**um iam à prelo hæc, quas legisti, Meditationes,  
proprijs abessent, incidi in nonnullas, quas idem  
author in fine tertiæ partis suæ proponit de *Votis eorūq̃*  
*innouatione*, in illorum gratiam, qui religiosam vi-  
tam profitentur, & quibus sciebat istam innouationem  
esse familiarem: Resumpto igitur calamo, has quoque  
Latinitate donavi, vt in vsu tuos vnà prodirent. Tu  
boni consule, & tuo consulentem bono habe in tuis pre-  
cibus commendatum.

ME-